


Google


AN

יהוה


INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER. FVNDATA MDCCCVII
Ps. CXIX. 169
כדברך הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.



PETRI APOSTOLI

DE CHRISTI AD INFEROS DESCENSU

SENTENTIA

EX LOCO NOBILISSIMO I. EP. III, 19 ERUTA

EXACTA AD EPISTOLAE ARGUMENTUM.

DISSERTATIO EXEGETICA DOGMATICA.

SCRIPSIT

CAROLUS ADOLPHUS GERHARDUS DE ZEZSCHWITZ

THEOLOGIAE LICENTIATUS AD AEDEM PAULINAM ACADEMIAE CONCIONATOR SECUNDAR.

LIPSIAE,

DOERFFLING ET FRANKE.

1857.

PETRI APOSTOLI

DE CHRISTI AD INFEROS DESCENSU

SENTENTIA

EX LOCO NOBILISSIMO I. EP. III, 19 ERUTA

EXACTA AD EPISTOLAE ARGUMENTUM.

DISSERTATIO EXEGETICA DOGMATICA.

SCRIPSIT

CAROLUS ADOLPHUS GERHARDUS DE ZEZSCHWITZ

THEOLOGIAE LICENTIATUS AD AEDEM PAULINAM ACADEMIAE CONCIONATOR SECUNDAR.

LIPSIAE,

DOERFFLING ET FRANKE.

1857.


ANDOVER THEOL. SEM.
DEC
18
1888
LIBRARY.

I.

INTRODUCTIO.

Christum ad inferos descendisse inde ab antiquissimis temporibus apud Christianos inter fidei articulos habitum est. In symbolo apostolico, quod dicitur, ab initio quidem verba „descendit ad inferna" non legebantur. Sed quoniam a quarto saeculo in aliis fidei regulis [1] addi coepta videmus, hoc ipsum documento est, quod singuli iique non pauci ante docuerint totius ecclesiae assensu comprobatum fuisse [2]. Quibus in symboli verbis quid de inferno animarumque ibi commorantium statu, quid de Christi descendentis consilio, cura, natura ipsa statueretur enucleate nullo omnino tempore inter doctores Christianos convenit. Nos jam, qui a Luthero nomen traximus, quomodo interpretemur symboli apostolici verba, per formulae concordiae quae dicitur articulum nonum aliquanto magis definite circumscriptum videtur. Neque tamen hac ratione inter Lutheranos ipsos sublatus est ille dissensus. Immo videmus a singulis jam saeculo post, a nostratibus fere omnibus liberius quam unquam de dogmate isto disputari et quae in formula nostra proposita esset sententia, ei rationem abjudicari tantum non omnem. Christum **totum**, corpore animae adjuncto descendisse docet norma [3]; contra **animam solam** corpore in sepulcro deposito inter mortuos commoratam a nostratibus satis multis edocemur. **Triumphum de diabolo** regnoque ejus agentem apparuisse in inferno Christum fuit sententia doctorum Lutherum sequentium; **evangelium mortuis praedicantem** opponunt fere quiqui hodie rem tractavere, atque inter eos non pauci qui reliquis ecclesiae nostrae dogmatis fidelissime obsequantur.

---

1. *Hahn Bibliothek der Symbole. Breslau 1842* p. 168. 170. 173.

2. Qua singulari causa factum sit, ut symbolo apostolico denique adderentur verba illa, non liquet. Certe quam plerique ante secuti sunt sententiam Kingii, interposita esse ut falsa Apollinaristarum de Christi natura opinio reprobaretur, ad eam quominus redeamus, Holger Waage in commentatione sua doctissima de hujus articuli aetate viam praecidisse videtur. Et altera nuper recte a Guedero (*die Lehre von der Erscheinung Jesu Christi unter den Todten. Bern 1853* p. 178 sq.) reprobata est conjectura, doctrinam illam de purgatorio increbescentem causam exstitisse inserendi hujus articuli. Primum, quantum quidem per documenta quae hodie supersunt videre licet, ab haereticis, Arianis scilicet, inter fidei articulos recensetur. Omnino autem statuendum videtur, de Christi natura et opere ita, uti factum est eo tempore, dignosci non potuisse, nisi simul ea quae de Christi ad inferos descensu traderentur a patribus fere omnibus magis magisque in publicis quoque monumentis locum invenirent. Hac in ratione acquiescendum est, donec nova in lucem prodierint hujus rei documenta. Nihil licet pro certo affirmari nisi sedis Romanae auctoritate magis magisque praepollente factum esse, ut denique in omnibus ecclesiae provinciis eadem symboli forma reciperetur.

3. „Tota persona." Lutherus in concione Torgaviae habita: „*mit Leib und Seele ungetheilt.*" Opp. ed. Walch. X p. 1359.

Neque id mirum videbitur, cum contra normatae, ut dicunt, normae sententiam audierimus testem atque judicem excitari normantem omnia hominum scripta scripturam sacram. Quae quidem lis quoquo modo dirimetur, fieri id omnino nequit nullo inde redundante fructu veritati, fidei, ecclesiae. Neque quemquam latere potest, hoc potissimum dogma cum proponerent, quibus divinis dictis confirmarent plerosque olim justo minus curasse. Formulae concordiae auctores ipsi ad nonum articulum stabiliendum Lutheri testimonium sufficere sibi persuaserunt, reliquos locis scripturae sacrae satis munientes. Lutherum autem beatum hoc de dogmate sibi ipsum minime constitisse, immo sententia ter quaterve mutata locum sacrae scripturae nobilissimum ut nimis obscurum[1] in suspenso reliquisse inter omnes notum est[2].

Qui deinceps eum secuti sunt scriptores dogmatici a Chemnitio usque ad Hollazium in hoc articulo exponendo defendendoque ad ejusmodi locos librorum sacrorum ut maxime probantes provocarunt, quos iis jam ab interpretibus summo cum jure abrogatos videmus; illum autem locum qui solus fortasse dogmati relinquitur argumentum ac fundamentum, eum dico qui 1 Petr. III, 19 legitur, aut omnino alio vertunt ne dicam destruunt, ut Joannes Gerhardus omnium praestantissimus, aut secundo loco addunt.

Nostro tempore cum hoc in dogmate accuratius definiendo ac con-

---

1. Ita nuper etiam Thomasius *Christi Person u. Werk II*, 238 sqq.: „*— und vor Allem die viel besprochne Stelle 1 Petr. 3, 19. 20. — — ist für mich ein Problem.*"

2. Lutherus docuit ao. 1519 opp. IV p. 1254: „*dass Christus — auch nach dem Tode höllische Pein und Schmerzen erduldet habe in der Hölle — — so lange mich jemand eines bessern belehrt.*" ao. 1522 (1523) l. l. IX p. 788 sqq.: „*— so wollen wir auf dem Sinne bleiben, dass St. Peter rede von dem Amte, das Christus thut durch die äusserliche Predigt — der Apostel. — — Da kommt er selbst und predigt den Geistern, die gefangen liegen im Gefängniss des Teufels; also dass das Hingehen auch geistlich verstanden werden soll, wie das Predigen.*" ao. 1530 (?) l. l. IV p. 206 sq.: „*Wollte ich gerne, dass Hölle das hiesse, dass die Seele gleich wie der Leib im Tode entschläft. — — Also glaube ich wird diess Wort in der Schrift gemeynet, sonderlich wenn es steht bei dem Wort begraben. — Der Seele Grab.*" Cfr. „*Vorhölle*" IX p. 1579. Contra in Colloquiis (XXII p. 435. Ed. Förstemanni I p. 345 No. 46): „*Fürwitzige Geister geben für — —: „„Grab."" Aber Schola ist Gehenna, Hölle*" (Ps. 16). ao. 1532: XIII p. 1076 sqq.: „*Auf dass ich meine Meinung und Bekenntniss hinter mir lasse — was ich von diesem Artikel gehalten habe: Christus zur Hölle hinunter gefahren (leiblich) und doch sein Leib im Grabe — habe die Hölle zerbrochen, den Teufel überwunden und die so vom Teufel gefangen waren erlöst*" (Ps. 16, 10. Eph. 4, 9). Eodem modo in concione illa Torgaviae habita quae in form. conc. citatur: ao. 1533. ao. 1545 VI p. 1797 sq.: „*Christus hat gepredigt Etlichen die zu den Zeiten Noäh nicht glaubten und auf die Gedult Gottes warteten und die da hofften, Gott würde nicht also grausamlich wüthen — — auf dass sie erkennten, ihre Sünden wären ihnen durch das Opfer Christi vergeben.*" Simili modo in Commentario ad Genesin I p. 806: „*Eine solche schreckliche Strafe hat St. Petrum auch beweget, dass er wie ein wahnsinniger Mensch mit solchen Worten herausfährt, die wir noch auf diesen Tag nicht verstehen können*" — —. „*Christus wird zu denselben Gefangnen auch gebracht haben Mosen und auch die Propheten, dass er aus der ungläubigen Welt eine neue gläubige machte. Auf diese Meinung lauten eigentlich St. Petri Worte, wiewol ich davon nichts gewisses reden will. Dennoch — — nicht gottlose Verächter, von denen man gewiss sagen kann, dass sie verdammt seyen — —. Es lässt sich aber ansehen, dass er die jungen Kinder und andre, welche ihre Einfältigkeit zu glauben verhindert hat, eine ungläubige Welt nennt*" (p. 809). Inter annos 1534 — 45.

firmando ejusque ambitu potissimum circumscribendo haud exigua cura impendatur, tum in illo Petri loco enucleando multi iique doctissimi viri iterum iterumque elaboraverunt accuratissime, uno fere ore consentientes, quid esset quove spectaret descensus Christi nisi ex hoc loco e nullo accuratius cognosci definirique posse. Quae autem colligenda ex illo videbantur, tantum abfuit ut veterum dogmaticorum de ira damnatis praedicata sententiam confirmarent, ut de evangelio salutifero mortuis annunciato cogitari oportere statueretur paene ab omnibus. Provocant autem quam maxime ad nexum, quo arctissime iste locus cum sexto capitis proximi versu conjunctus sit.

Atqui patet quanti sit quaestio ista momenti. Etenim si scriptura sacra teste ipsis mortuis evangelium praedicatum est, aperte aeternae salutis adipiscendae spatium dilatatur ultra fines vitae terrestris. Quod sive omnibus omnino vindicetur qui ante judicii extremi terminum moriantur, uti placet Guedero, sive restringatur ad singulos quosdam vel ad gentiles praedicationis evangelicae hac in vita expertes, certe de mortis in homines vi defunctorumque statu et facultatibus judicium recepta illa interpretatione magna ex parte immutabitur.

Omnis lis versatur in Petri sententia recte intelligenda. Neque hanc licet interposita formulae cujusvis ecclesiasticae auctoritate praecidere eoque simplicem verborum intellectum vertere quo duxerit praeoccupata de ullo dogmate opinio. Non magis autem olim ingenii aciem occaecaverit doctrinae de mortuorum statu immutabili antiquitus traditae obsequium et studium, quam nunc spes illa amplificandi ipsius Petri permissu conversionis spatii vel etiam solvendae illius de gentilium salute quaestionis obscurissimae nonnullorum mentes alliciat. Quin igitur denuo sine ullo partium studio Petri locum examinamus. Fortasse quam interpretes recentiores tantum non omnes deseruere de descensu opinionem, innotuisse scilicet per eum apud inferos victoriam Christi sane ad sanciendum eorum supplicium qui fidem denegantes Deo mortui essent — fortasse inquam illa non plane inveniatur destituta Petri auctoritate. Etenim quae ipso illo loco leguntur, vix unquam per se commovissent interpretes ut cum tanta qua fieri solet fiducia evangelium inter inferos praedicatum esse statuerent, nisi quae paullo infra sequuntur verba difficillima (IV, 6) perperam intellecta huc retulissent. De utroque vero loco cum recte judicari nequeat nisi ante omnia contextus totiusque epistolae argumentum probe perspecta fuerint, primum proponamus summam eorum quae antecedunt locum nostrum, reliquis infra adjectis, omnibus autem iis locis qui ad nostrum explicandum facere videntur paulo accuratius exploratis.

II.

EXEGETICA PARS.

Salutatione solenni praemissa incipit prior Petri epistola a praedicatione praeclarae Christianorum sortis per Dei patris benignitatem comparatae ipsisque in coelis repositae, nitentis autem resurrectione Christi, quocum redeunte his ipsis in quibus jam constituti sint Christiani temporibus sit apparitura. Quam ad spem cur fidelium animi maxime erigendi videantur, proximo versu indicat apostolus, praesentem Christianorum statum ab illa sorte futura satis diversum paucis describens.

Premebantur enim lectores epistolae calamitatibus multis iisque non levibus, quibus ab adversariis fidei Christianae afficerentur; ac verendum erat, ne animis abjectis a fide speque Christiana denique desciscerent, id quod ut scriberet ad eos maxime se commovisse sub finem epistolae apostolus ipse prodit (V, 12). Ab initio autem, ubi calamitates istae non accuratius definiuntur, satis visum est argumenta, quibus confirmarentur lectores, petere tam a temporis brevitate per quod omnino talia perferenda essent, quam a fructu qui inde in eos redundaret, qui ex Dei voluntate patienter constanterque in fide perseverantes mala sustinerent. Fructum autem dicit istam mercedis gloriaeque cum Christo redeunte futurae spem multo etiam majorem ac laetiorem affulgentem calamitates perpessis, immo ipsam animarum salutem aeternam sola fide Deo comprobata acquirendam. Quo ex prologi fine, quid de eorum sorte, qui non solum ipsi fidei contemptores sed fidelium adversarii et persecutores deprehensi erunt a Christo redeunte, statuendum sit e Petri mente, facile jam intelligas, quamquam disertis verbis in concludenda demum, quae per epistolam totam obtinet, argumentatione hanc alteram disputationis partem nervosius adjungit. (IV, 17. 18.)

Illa autem de spe ut certiores etiam fiant lectores, ad prophetarum vaticinia apostolus ablegat, quippe qui, quam ipsi flagrante cum desiderio sectati essent spem, eam his qui jam instarent diebus obtinendam fore praedixerint, neque vero quas ante gloriam cum Christo assequendam offensiones perpeti deberent quiqui Christo forent addicti, silentio praeterierint. Atque quod ita per illos Christus ipse in spiritu suo praesens praesignificasset, idem inter Christianos nunc evangelium praedicatum esse spiritu sancto de coelo cooperante, angelis cum desiderio inspectantibus. Haec omnia (I, 1—12) ad salutis gloriaeque Christianis futurae spem exaggerandam confirmandamque dicta atque epistolae prologi instar praemissa sunt, ita ut argumentum totius epistolae et quasi sententiarum summa infra ter quaterve repetita ab initio statim satis perspicue significetur: Gloriae in Christo futurae spe animos corroborandos esse ad afflictationes concitas Christianis propter fidem in Christum patienter tolerandas. Maximi autem momenti est, quod Petrus hanc evangelii summam veteris testamenti prophetis jam tribuat, profecto non ad singula vaticinia, velut Jesajae caput LIII,

respiciens (cfr. Act. III, 18. 21. Luc. XXIV, 26.). Uti auctor epistolae ad Hebraeos maxime cap. XI, ita hoc loco Petrus Christi ipsius efficacitati in veteris jam testamenti temporibus plus tribuit fideique in eum vestigia plura videt, quam nos nunc solemus. Atqui inde aliud aperte de incredulitatis culpa in vetere testamento nascitur judicium. Omnino quae ex evangelii natura postulari auctore Petro videntur, talia sunt quae omnibus temporibus similiter praestentur, scilicet ut propter Deum spemque divini praemii hominum odia et suscipiantur et perferantur. Conferas quaeso Hebr. XI, 26. 27 et XIII, 13. II Petr. II, 7 et 5. Hebr. XI, 7 et 6.

Jam versu decimo tertio apostolus ad eam transit adhortationem, cui epistola tota inservit. Hoc autem modo procedit oratio, ut spes illa fortiter et ad finem usque retinenda primum quidem obtineat locum (v. 13. cf. v. 3) ejusque mentio haud raro infra recolatur (21. III, 9. 15): multo majore autem ex parte vitae ad Christi exemplum divinaeque sanctitatis normam pie casteque instituendae admonitiones singulas inservire videamus, postquam ipsius salutationis verba jam lectorum animos eo direxerunt[1].

Quod quomodo cum Christianorum illorum statu fineque epistolae summo cohaereat, paucis praemissis absolvamus. Gentiles, inter quos vivebant Christiani, in eo potissimum offendebant, quod quiqui Christo fidem dedissent et vitam, solerent suam vitae rationem paternosque mores prorsus respuere (I, 18; IV, 4). Hinc calumniabantur eos et persequebantur summo cum odio. Jam Christianis facile accidere potuit, non solum ut his tantis afflictationibus labefacti ab illa sanctitatis via strenue persequenda aliquantum desisterent, sed de Deo justo et aequo rerum humanarum judice omnino desperarent, de Christo autem, cum Christianos deserere videretur, num revera redux a mortuis adversarios et persecutores profligasset victoriamque in extremo judicio manifestaturus esset, vehementer dubitarent. Utroque vero modo Christianos cum animo fideque abjectis simul spem illam abjicere sortemque ipsam felicem in coelo sibi repositam perdere, nemo est quin videat. Hinc factum est, ut totus jam versaretur apostolus in anquirendis et afferendis iis argumentis, quibus lectores commoverentur ut in sancta vita strenue et constanter perseverarent. Quae inter argumenta non ultimo loco ea desiderari, quae sint ex Dei justitia Christique ad vindicandos suos reditu petita, facile jam divinatur. Nunc autem quomodo singula persequatur auctor, accuratius videamus.

Ab universa admonitione ad singula progrediens officia viam sibi parat ita, ut lectoribus ante omnia in memoriam revocet, quae omnino sit vitae novae, cujus participes facti sint, natura, origo, ratio. Ex Deo enim patre ad fidem vocante (15) et per verbum suum divino vigore praeditum hominum corda regenerante (23—25) quum Christianorum vita nova orta sit, ut filios non solum ad paternae voluntatis obsequium pie praestandum (14) sed ad naturae etiam divinae similitudinem in sanctitate et veritate probandam (16. 22) in spiritus unitate servandam (22) obligari Christianos. Augeri vero etiam et ad Christum simul

1. ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ κ. τ. λ.

restringi religionem hanc inde, quod illo vitae novae beneficio a Deo affici omnino non potuissent nisi Christo sanctissimo et ab omni culpa remotissimo Dei filio propter ipsos in mortem tradito (18—20). Quod quidem pretium et beneficium qui tanti non fecerint ut, spretis his rebus humanis graminis instar caducis (24) libidinibusque vitae istius peregrinationi brevi simillimae (14. 17), patris voluntati (15) fratrumque caritati (22) casto animo atque religioso se dederint totos, iis iram imminere patris ipsius juste et severe hominum facta judicantis (17) neque amplius excusationi ignorationis locum relinqui (14).

Ex his nescio quid ad quaestionem nostram facere dicam praeterquam quod severum Dei de infidelibus judicium ab initio statim ante oculos ponitur. Quod quum Christianis ipsis timendum sit, quid infidelibus, fidei adversariis reliquum erit (IV, 17. 18)? Neque hoc negligendum est, Christi apparentis in mundo gratiam et benevolentiam disertis verbis atque cum vi restringi ad eos qui fidem habuerint ei, resurrectionis autem ejus mentionem fieri ita, ut documento sit maxime gloriae Christi recuperatae, Christianis autem quippe credentibus spei fundamento (20. 21. cf. 3).

Capite secundo in eadem disputatione ita pergit ut vita Christiana quomodo institui debeat, non solum ex ipsa rei natura derivetur, sed magis etiam ex ea quae inter Christianos et fidei adversarios intercedat ratione clarius jam exponenda et ad singulos ordines vitaeque conditiones examinanda concludatur (II, 13—III, 8).

Praemittit argumentationi, ut supra adhortationem generalem (I, 13), nunc dissuasionem simili modo comparatam (II, 1), denuo in memoriam revocans quam modo nacti sint vitam, ab omnibus quae dissuadenda fuerint maxime alienam. Qua in vita ut incrementa etiam capiant ipsi atque melius usque instituantur ad salutem adipiscendam, idem ex quo traxerint vitae originem verbum ut cibum animarum appetendum esse (2). Appetitum hunc certe in omnibus esse quiqui quam dulcis sit dominus ipse, quippe a quo nutricis instar nutriantur filii Dei, experti sint (3).

His jam verbis significatur, non pari ab omnibus studio de Christo domino judicari; qui autem statim sequuntur versus, nullam amplius admittunt dubitationem, quin iste inter homines de Christo dissensus, utpote ex quo oriantur calamitates Christianorum simulque, quod inde sequitur, sortis discrimen fidelium et infidelium, quam maxime ante oculos apostoli versetur. Postquam autem in antecedentibus extulit illa beneficia novae vitae quibus Christiani a Deo patre et Christo salvatore affecti essent, indeque fidei et obsequii officia derivavit: nunc provocat ad eam qua ipsi se Christo junxerint necessitudinem cum fidem vitamque ei dederint, atque ut in ea perseverent immo proficiant quam maxime adhortatur.

Hinc factum est ut a vitae nutriendae imagine transeat apostolus ad aedificii, quod Christo quasi fundamento subjecto superstruendum fidelium ipsorum curae commendatum est. Etiam hoc loco vaticinia antiqua in auxilium vocantur, ut fides lectorum inde quam maxime confirmetur, quod videant, hoc non modo non inopinatum fieri, immo in scriptura sacra dudum praedicari Christum salvatorem fidemque ei debitam ab aliis recipi ab aliis ipsisque proceribus respui. Quod quum

Christo ipsi accidisset tantum abesse ut iis offensioni et impedimento, ut incitamento esse deberet spretis calamitatibus inde oriundis ad fidem fideliter servandam criminationesque adeo adversariorum, si fieri posset, beneficiis integraque vita convincendas. Sumta jam a templo imagine sancta Christianorum societas describitur, junctis singulis inter se ut lapidi lapis. Quae quum dicta sint maxime ad auctoritatem dignitatemque fidei exaggerandam, qua sola factum sit ut Christo Christiani tanquam lapides fundamento vel angulari lapidi adjungerentur (4. 6. 7), eundem in finem faciunt, in quem ea quae de adversariorum incredulitate opponuntur, quibus lapis positus a Deo ut fundamentum esset salutis, offensioni fuerit et damno (7. 8).

Ad hunc locum diligenter attendendum est, si quae sequuntur ex Petri mente volumus enodare. Primum antithesis illa — ὑπὸ ἀνθρώπων μὲν ἀποδεδοκιμασμένον, παρὰ δὲ θεῷ ἐκλεκτὸν — ejusdem fere generis est, quales per totam epistolam occurrunt. Uti hoc loco judicandi ratio in re Christiana diversa inter homines et Deum opponitur, ita infra agendi et vivendi (IV, 2. 6); atque quod nunc de Christo docemur calamitates injuriasque quas inter homines perpessus esset gloria per Deum collata in ipso refectas esse, idem deinde Christianis futurum esse confirmatur. Quae sententia cum subsit vaticiniis quae proxime adjungit, comprobatur jam exemplo quam ante vaticiniorum summam dixerit: τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, cognosciturque eandem esse epistolae summam quippe qua Christi Christianorumque in sorte similitudo declaretur. Porro illud ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας quin resurrectionem Christi monstret tanquam initium gloriae restituendae, dubium non est praesertim Petri verba Act. IV, 10. 11 in auxilium vocanti. Ita vero infra (III, 18) ζωοποιηθείς videmus oppositum illi alteri θανατωθείς atque quod non nihil valere videtur ad confirmandam nostram loci infra sequentis explicationem, hoc in utroque loco ita fit ut non solum fidelium spes et gloria quae nitatur Christi resurrectione commemoretur, sed arctius etiam cum resurrectionis mentione conjungatur Christi cum infidelibus commercium. II, 7. 8: ἀπειθοῦσι δὲ — ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας sqq. cfr. infra de III, 18 sqq.

Adversariis justo tandem ipsius Dei judicio traditis in eam animi perversitatem (8) ut verbum salutis iis offensioni non esse non posset, opponit jam apostolus hanc disputationis partem absolvens denuo Christianorum conditionem atque sortem praestantiorem tanto, quanto magis Deo probatam et sanctam (9. 10). Neque vero tot et tanta verba quibus hac in re utitur vano inserviunt nominis Christiani praeconio: immo quo spectent, facile ex arcto inter nonum et duodecimum versum intercedente nexu cognoscitur. Repetita enim universa ista ad vitam sanctam adhortatione, ex Christianorum in hac vita conditione maxime hausta (11), uti supra magnis illis quibus a Deo sint instructi donis et honoribus (9. 10), ita jam jactura salutis imminente (11) instigare studet lectores, ut eos sese praestarent, in quorum vita et habitu sanctitas et benignitas esset conspicua (9. 12) agnoscenda denique et laudanda etiam a gentilibus et adversariis ipsis (12).

His ultimis verbis quum adversariis Christianorum etiam spes conversionis gratiaeque divinae aliquando largius impetrandae relinquatur, bene notandum est, hac ipsa futurae visitationis divinae mentione re-

stringi simul spatium conversioni relictum.[1] Inde etiam explicatur cur aliis epistolae locis, de quibus infra sermo erit, uti ante jam versu octavo de judicio solo in adversarios exercito sermo videatur. Accuratius enim utique distinguendum erit, quale infidelium genus aevumque apostolo de futura hominum sorte disserenti ante oculos versetur. Aliter aperte de istis qui licet *οἰκοδομοῦντες* tamen ipsum fundamentum Christum reprobaverant, aliter de gentilibus inter quos fides Christiana probanda esset etiamnunc proba et sancta vita, aliter denique de iis, quibus satis probata videretur fidei natura salutisque adipiscendae copia diu et tamen frustra data, statuendum erat. Neque hoc est negligendum istius adversariorum spei mentionem fieri hoc loco non propter ipsos, multo minus etiam dogmatis cujusdam exponendi causa, sed ut incitamento sit Christianis vitae et in Dei honorem et in fidei triumphum sancte instituendae agendaeque.

Hoc idem argumentum est et finis versuum sequentium, quos conclusionis particula interposita apostolus adjungit. Per singulas enim vitae conditiones hominumque ordines nunc persequitur, quae ante in universum dicta sunt. Ex his autem ad eas maxime respicit conditiones, in quibus multum et necessarium fuerit inter Christianos et gentiles singulos commercium, institutis tamen et moribus consuetudineque gentilium cum Christianae vitae regula quam maxime pugnantibus. Ita quid praefectis omnibusque magistratibus debeant Christiani, quid dominis servi, quid conjux conjugi fidei Christianae nondum addictis perlustrat (II, 13—III, 7). Cujuscunque enim subjecti sint Christiani potestati, ei esse obediendum, alioquin eos Christo domino placere non posse, qui liberos praestiterit non ut licentius se gererent sed ut Deo morem gerere sibi viderentur ubicunque hominibus esset obediendum, hisque tales sese praeberent, ut, quorum munus esset punire maleficos praemio autem afficere recte agentes, ii ipsi Christianae innocentiae arbitri et vindices esse deberent (II, 13—17). Versus decimus quintus jam satis clare ostendit, apostolum omnino magis de adversariis injuriae convincendis, Christianorum autem innocentia evincenda agere, quam de illorum salutis copia demta relictave (cfr. infra ad III, 16).

Servis deinde non minus obsequio dominorum vel duriorum injuncto (18) generalem interponit adhortationem de afflictationibus etiam tum patienter suscipiendis cum injuste plectamur nullius culpae obnoxii ipsi (19. 20).

Ab hoc inde loco magis quam ante de calamitatibus agitur, quae Christianis inter gentiles tolerandae fuerunt; vitae autem sanctitatem, quam modo commendavit omnino, maxime Deo probatam et acceptam in eo cerni docemur ut Christiani Christo similes adversariorum persecutiones patienter ferant, ne repugnationis quidem opprobrio contaminantes sanctae vitae laudem.

Quod quam acceptum Deo sit probat apostolus primum exemplo Christi, omni culpa expertis summosque cruciatus patienter sustinentis, quem Christiani in hac ipsa patientia et innocentia sequantur fidelissime eo magis oportere, quia Christus crucis mortem omnesque quae an-

1. Cfr. Hutherum de verbis ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς.

tecessissent afflictationes propter ipsos in se susceperit, ut expiatis peccatis salvi praestarentur (21—24). Atqui quum tanto tantisque in doloribus probato amore ipsorum saluti consultum esset ab illo, Christianorum esse, ut animo gratissimo et obedientissimo vestigiis illius ingrederentur, uti oves sequerentur pastorem (25).

Caeterum ne in his quidem versibus, in quibus patientiae maxime humanae ac divinae notio effertur atque mors Christi expiatoria omnino de gratia omnibus parata cogitare facit, deest judicii mentio. Quae Christus patri (v. 23), eadem facile intelligimus Christo Christianos tradere commendareque debere judici apparituro. Quo enim jure apostolo licebat a Christianis postulare, ut ab omni omnino repugnatione desisterent ipsi, nisi promptum fuisset solatium ex alterius justitia judicandique potestate haustum, quo confirmarentur Christianorum animi de rebus suis non in aeternum inferioribus, immo tandem aliquando in victoria constitutis.

CAP. III. Jam quae tertio capite ineunte (v. 1—7) de officiis conjugalibus interponuntur, ad nostrum locum illustrandum nihil novi afferunt. Certe quod de maritis, qui nondum credant, sancta uxorum vita convincendis et ad fidem Christianam convertendis (v. 1) scribat, id quantum gratiae et conversionis spei iis faciat, qui quando fidem et obsequium Deo denegantes mortui sint, nos quidem aliis divinandum relinquimus.

Octavo demum versu a singulorum ordinum officiis ad omnium communia sanctitatis, caritatis, patientiae potissimum atque clementiae revocat apostolus disputationem, iisdem plane verbis disserens quibus ante Christi patientiam describens usus est. Aperte lectores exempli modo propositi denuo commonefacturus est (9, a) nec non quae a Christo docti sint apostoli ipsi (Mtth. V, 44) ea jam suis pie observanda ad verba paene traditurus (9, b). Jubet autem benedicere et precari iis, a quibus contumeliose tractarentur, non quo salus et felicitas apud Deum exspectanda esset iis qui sic agerent, sed ne Christiani Christo dissimiles viderentur, remunerato beneficiis maleficos, neve, quidquid paterentur, ulcisci sese studerent ipsi, immo de sua salute aeterna certiores (v. 9) animo misericordi (8) ab adversariis etiam aversam mallent quae iis immineret sortem. His enim verbis (*ὅτι εἰς τοῦτο ἐκλήθητε ἵνα εὐλογίαν κληρονομήσητε*) quum futurae felicitatis spes Christianorum propria dicatur, de infidelium sorte futura quid sit concludendum liquet. Ideoque fit ut, quod in fine loci e vetere testamento allati scriptum legimus de Deo justo judicio inter probos et improbos discernente (v. 12), quamvis verbis per se spectatis utrumque, quod ibi dicit,[1] Christianis tam erigendis quam ne peccent dehortandis dictum esse videatur, hoc et ipsum simul de illo judicio, quod adversariis Christianos male tractantibus exspectandum sit, lectorem faciat cogitare.[2] Accedit etiam Psalmi tricesimi quarti, ex quo petita sunt verba, ratio. Agitur enim

---

1. „*ὅτι οἱ ὀφθαλμοὶ κυρίου ἐπὶ δικαίους καὶ ὦτα αὐτοῦ εἰς δέησιν αὐτῶν, πρόςωπον δὲ κυρίου ἐπὶ ποιοῦντας κακά.*“

2. Calvinus hanc sententiam alteri praestare censens „Hoc membro“ inquit „dominum significat nostrum fore vindicem, quia non semper passurus sit impiorum proterviam grassari. Et simul denuntiat quid futurum sit si vitam nostram maleficiis velimus tueri.“

ibi maxime de probis iisque afflictis, quibus auxilium divinum promptum sit atque paratum.[1] Ita hoc priore versus duodecimi membro aperte non tam agitur de divina vitae ad Psalmistae mentem actae approbatione quam de auxilio piis eo certius futuro, quo magis ab omni repugnantia maloque aliis inferendo desistant ipsi.[2] Cui aptissime annexa sententiae jam v. 13 procedit oratio ad interrogationem *καὶ τίς ὁ κακώσων ὑμᾶς;* „Atqui divino auxilio circumdatos quo vos damno adversarii afficient, siquidem perseveraveritis in ea, cui promissum est divinum auxilium, vitae probitate?"

Sententia omnino caret versus decimus tertius, nisi ex antecedente suppleatur divini praesidii notio, id quod De Wette recte cognovit.[3] Certissima his verbis continetur promissio divina, nil damni ab hominibus importari posse viro Christiano, siquidem re vera sit qualis nomine declaretur. Ante oculos fuit sine dubio hoc quoque loco dictum veteris testamenti (Jes. L, 9); ubi LXX interpretes hoc ipso verbo utuntur, *ἰδοὺ κύριος κύριος βοηθήσει μοι· τίς κακώσει με;* Similitudo autem locorum non in verbis solum est, quam interpretes fere omnes agnoverunt, sed in contextu loci Jesajani magis etiam conspicua. Antecedit apud Jesajam descriptio probi patienter tolerantis quidquid injuriarum vexationum contumeliarum in se inferant adversarii (L, 7 cfr. nostro loco v. 9). Mediis autem in contumeliis certa divini praesidii spe ita erigitur, ut adversarios provocans exultet: *τίς ὁ κρινόμενός μοι; τίς κακώσει με;* Etiam quae infra ex Jesajae octavo capite hausta apostolus interponit, huic sententiae simillima: *τὸν δὲ φόβον αὐτῶν μὴ φοβηθῆτε μηδὲ ταραχθῆτε* — —, a contextu capitis quinquagesimi non sunt aliena. Ibi enim pergit paulo post (LI, 7): *μὴ φοβεῖσθε ὀνειδισμὸν ἀνθρώπων καὶ τῷ φαυλισμῷ αὐτῶν μὴ ἡττᾶσθε.* Petrum autem omnino non ad verba solum veteris testamenti alludere singulosque locos in auxilium vocare, sed quaequae ab eo vel dicta vel scripta referantur, totam veteris testamenti dicendi argumentandique rationem redolere singula-

1. Conferas potissimum v. 5—10 qui ad unum omnes id agunt ut Dei auxilium efferant, Davidi piisque omnibus, quiqui afflicti calamitatibus illo confiderent, praestitum. His tanquam exemplis comprobantibus nituntur, quae deinde in altera Psalmi parte docemur. Neque hoc negligendum est Petrum supra jam (I, 3) ex hoc Psalmo allegasse, quibus haec ipsa sententia tanquam Psalmi totius quaedam summa contineatur (*ἐγεύσασθε ὅτι χρηστὸς ὁ κύριος*).

2. Steiger, quamvis perperam statuat verba *πρόςωπον κυρίου* nil significare nisi „malos Deum non latere" (Camerar. Hensler), tamen hoc satis recte monet, Petrum consulto omisisse posterius in Psalmi versu membrum (LXX: *τοῦ ἐξολοθρεῦσαι ἐκ γῆς τὸ μνημόσυνον αὐτῶν*) quia nihil interfuerit apostoli, terrere lectores poenae severitate ante oculos ponenda: „*Er will nicht von der Bestrafung der Bösen an sich reden, wie der Psalmist es thut, um davon abzuschrecken, sondern von dem Schutz, der den Gerechten zu theil wird, und also nur insofern von dem Benehmen Gottes gegen die Bösen, als diese jenen schaden könnten.*" p. 329 sq. Cfr. Lutheri verba apud Wiesingerum: „*Weil wir nun das wissen, dass er uns mit Gnaden, jene mit Ungnaden ansieht etc.*"

3. „*Und (vermöge dieser Fürsorge Gottes für Gerechte) wer ist es, der euch übel thuen wird?*" cfr. Huther. Steiger eundem, uti supra vidimus, statuens orationis nexum perperam deinde versus sententiam extenuat, quasi dicturus fuerit Petrus: „*Und überhaupt, wer wird euch denn, wie ihr euch einbildet, gleich Uebel zufügen.*" Similiter Flacius Gloss. Wiesinger, qui hos sequitur, neque ad Jesajani cum nostro loco similitudinem neque ad nostri ipsius contextum (*πρόςωπον δὲ κυρίου ἐπὶ ποιοῦντας κακά* v. 12; *τὸν δὲ φόβον αὐτῶν μὴ φοβηθῆτε* v. 14) satis attendit, ubi sane Christianorum adversariis mala adscribuntur consilia,

que ita citari ut ratio habeatur et loci quem obtineant in rerum Israelitarum processu, et sententiarum quae cohaereant nexus, inter omnes notum est.[1]

Ita hoc loco hac interrogatione utitur apostolus ut lectoribus simul in memoriam revocaret, e quorum mente et conditione, ipsorum scilicet simillima, propheta ita locutus esset. Quae vero aliunde hausit, propriis aptissime injungit. Neque enim habuit, quo meliore et graviore verbo declararet, res humanas omnino justo et aequo moderatore carere videri, si, qui bene agerent summo cum studio (ζηλωταί), eos male tractare cuilibet liceret; κακοῦν notioni ἀγαθοῦ magna cum vi opponitur. Hinc praegnantem hoc loco nanciscitur significationem. Satis recte ab Huthero aliisque monetur, usurpari hoc verbum in No. To. juxta atque apud profanos scriptores de vexatione graviori; sed quae versu proximo patienda tamen Christianis praedicuntur, non gradu tantum differunt ab illo malo, a cujus timore liberantur versu decimo tertio. Mali scilicet, quodcunque re vera sit, nihil Christianis bonum sectantibus inferri per Deum licere, damni nihil, nihil denique, quo illa cujus participes fore ante dixit benedictionis promissio (εὐλογία) irrita reddatur, docet apostolus. Qua tanta fiducia nulli licet efferri nisi qui ad Deum judicem, moderatorem, rerum Christianarum praesidium ipsum certa fide respiciat; nam adversariis ut mala consilia abjudicet apostolus tantum abest, ut vexationes vix evitandas Christianis ab istis paratum iri ipse praedicat:

V. 14. Ἀλλ' εἰ καὶ πάσχοιτε — —; εἰ καί, nam mali speciem certe et sensum quendam habent vexationes, quae imminent. Neque vero propterea concidit fiducia, immo beatos appellat apostolus, quibus accidat ut propter fidem vitaeque sanctitatem male tractentur.

Hinc oritur quaestio qualem dicat beatitudinem, eamne quae sentiatur in conscientia recti, an quae in salute Christianorum aeterna conspicua, reposita quidem in coelo, sed praesens omnibus quorum spes ac fides Dei praesidio Christique redituri victoria nitatur.[2] Qua in re magna cum incuria interpretes plerique versati sunt. Neque tamen quemquam latere debuit, quantum lucis hoc versu recte et accurate explicato affunderetur disputationi de versu duodevigesimo. Rectissime enim vidit De Wette versum nostrum infra (17) verbis κρεῖττον γὰρ ἀγαθοποιοῦντας — πάσχειν denuo recipi et confirmari. His vero ea quae sequuntur (v. 18) particula causali interposita tam arcte annectuntur, ut nisi ex altero versu alter non possit intelligi et judicari.

Quodsi interpretes plerosque explicatione verbi μακάριοι omnino supersedisse videmus, id inde factum esse videtur, quod eandem fere huic versui inesse statuerint sententiam, quam undevigesimus et vigesimus capitis secundi exhiberet. Beatos censent Christianos appellari hanc ipsam ob causam, quod διὰ δικαιοσύνην ideoque insontes rectique sibi conscii paterentur atque Deo o. m. sic placerent.[3] Quibus quominus assentiamur primum obstat manifestus inter haec et Christi ipsius verba

---

1. *Weiss Petrin. Lehrbegr.* p. 159 sqq.
2. Wiesinger: Beati hic in spe, illic in re.
3. Hanc explicationem exhibet Calvinus: „hoc ipso beatos esse, quia patiuntur propter justitiam" ita tamen ut simul statuat, quo jure felices appellentur, patefactum iri, cum „tandem Deus liberator" adierit.

concentus.[1] *Μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης, ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν*, omnium profecto Christianorum in ore et corde erant verba praeclarissima, Petro autem hoc loco eo magis in promptu, quo arctius cohaererent cum illis quorum memoriam versu nono antecedente recoluisset. Istud *μακάριοι* cum summam Christi ipsius promissionem nulli non in memoriam revocaret, quam jejuna fuisset ac frigida consolatio Christianis in tot tantisque vexationibus constitutis si hac verborum gravitate nil nisi beatitudinem conscientiae recti praedicatam audissent. Sed repugnat ipse etiam nexus sententiarum loci nostri. In antecedentibus postquam lectores divini praesidii certiores facti ab omni damni timore liberati sunt, vexationum periculum tamen imminens illis ab apostolo ipso non potuit ante oculos poni nisi ita, ut cum Christianorum spes in Deo reposita, quae modo confirmata esset, non imminueretur, tum Dei rerum Christianarum gubernatio ab omni iniquitatis specie vindicaretur. Proinde sic procedit oratio ut quaedam in his duobus versibus conspicua sit gradatio.[2] Anteponitur tanquam jus quoddam Christianorum proprium et praecipuum, sanctam ipsorum vitam nulli omnino obnoxiam esse damno, quae vero propter hanc ipsam iis parentur vexationes, tantum abesse ut beneficium illud divinum irritum reddant, ut spei multo etiam majoris certiores et ad adipiscendam illam *εὐλογίαν* magis paratos faciant Christianos. Ad hanc enim ablegamur verbo *μακάριοι*, quod ipsum nihil aliud est nisi vox quaedam *εὐλογίας*. Ablegamur ad illam quam in prologo praedicat apostolus hereditatem in coelo repositam (I, 4), quam qui adipiscatur dignus non praestetur nisi calamitatibus ad Dei voluntatem perpetiendis (6. 7). Quod idem, ne quidquam relinquatur dubitationis, infra ita recolitur, ut apostolus disertis verbis gaudium praeclarae Christianorum sortis proxime futurae ipso verbo *μακάριος* repetito in lectoribus excitare studeat (IV, 13. 14).

Nunc nihil amplius demonstratum voluerim nisi hoc, lectores ante omni modo admonitos, ut patienter, nulli culpae nullique repugnantiae obnoxii adversariorum vexationes ad Christi exemplum perferrent, inde ab his versibus erigi tam ad praemium illis praeter caeteros propositum (9. 14) quam ad auxilium vindictamque jam paratam (12. 13).

Via sic munita aggrediamur proprius ad locum, in quo praeter caeteros quaestio nostra versatur. Ante vero quam de versu decimo septimo huic arctissime conjuncto agimus, paucis de iis quae inde a decimo quarto medio sequuntur absolvamus. Anteposita esse haec ita, ut diserta vocis *μακάριοι* explicatio differretur eique anteponeretur quod caveret, ne istius felicitatis spe etiamnum exciderent Christiani neve polluerent certe rem suam, vix quisquam eat infitias, quamquam interpretes fere omnes hanc quoque de contextu quaestionem reliquerunt intactam. Particula *δέ* ter repetita in principio singulorum membrorum hoc satis comprobare videtur.[3] Jam quae continuo hoc *μα-*

1. Wiesinger: „*die Stelle ist ein Nachklang von Matth. V, 10.*" Fugit tamen virum doctum, quid hoc ad v. 17 recte intelligendum faciat, ubi *κρεῖσσον* „*vom sittlich Zuträglichen*" explicat.

2. Bengel: „Ne hoc quidem vitam beatam vobis aufert, imo auget." Gloss. interl.: „Non solum non nocet, quod a malis irrogatur, sed etiam prodest."

3. Tertium etiam *δέ* cum Tischendorfio legendum est. (A. B. G. I. Codd. et pleraeque versiones habent.) Cfr. Wiesinger ad h. l.

κάριοι excipiunt verba arctius reliquis cum hac notione cohaerent illique quam modo proposuimus explicationi luculentissimo sunt documento. De auxilio divino reique Christianae victoria omnia sunt dicta. Docet autem apostolus beatitudinem illam sperantibus certo futuram, immo praesentem credentibus hanc ante omnia vim habere, ut imminente ipso adversariorum impetu ab omni metu liberet animos Christianorum. Jesajae rursus utitur verbis iisque sententiae versus decimi tertii ita cognatis ut quae supra de eo proposuerimus quam maxime confirmentur. Hoc dicit: Beati estis; interim quae occulta est etiamnunc et in futuro demum prorsus adipiscenda beatitudo, illius spem et fidem ita comprobate, ut cum adversariorum terrorem contemnatis, tum Christo quippe spei vestrae ac praesidio honorem divinum animique verecundiam tanquam domino vestro consecretis.

Supra ostendimus quae ex octavo Jesajae capite hoc loco afferantur, a capitis quinquagesimi contextu, cui debetur formula illa versus decimi tertii, minime aliena esse; at quem fugerit cur maluerit apostolus, quae jam dicenda erant, petere ex capite illo insigni? Etenim non jam verba facienda erant de quolibet auxilii divini exspectandi vexatis quibuslibet documento, immo tam de gente, quae praeter caeteras omnes Deo sit electa atque dilecta (II, 9. 10) per Israelitarum gentem ipsam velut typum praesignificata, pressa nunc et vexata ab iis qui Christo et Deo patri ipsi et infensi et invisi essent maxime, quam de Christo vero Immanuele (*κύριον δὲ τὸν Χριστόν*) fidelium spe, salute, victoria ipsa nunc demum luculentissime omnibus comprobando et declarando, sibi addictis summo gaudio, adversariis infidelibus ac maleficis summo terrori. Quisquis Christianorum illius temporis genuinam horum verborum vim accuratius consideraverit, is vero graviori modo de magno et felici suo statu tam praesenti quam proxime futuro certior, melius et pulcrius verborum prologi Petrini prophetarum testimoniis confirmatorum (I, 7. 10—12. 13) memor reddi non potuerit. Ita his etiam verbis, quamvis per se magis doceant quae postulentur a Christianis, quam quibus sint fortunati, tecte ipsius beatitudinis illis addictae ratio significatur. Ipsa verba abrupto sicuti videtur filo e prophetae vaticiniis interposita speciem prae se ferunt triumphi certa spe et gaudio exultantis, ideoque aptissime illi praedicationis voci adjunguntur.[1]

---

1. De singulis haec sufficiant. *Φόβος* est cum interpretibus tantum non omnibus de terrore quem adversarii inferant accipiendum, quam in sententiam, etiamsi Jesajae non sit, verba interpretum graeca vertere facile licuit (Ps. XC, 5; Hiob III, 25 LXX). *Αὐτῶν* uti De Wettio, Brücknero, Wiesingero (contra Hutherum), ita nobis genitivus subjecti est. *Τὸν Χριστόν* cum Lachmanno et Tischendorfio auctoritatem codicum praestantissimorum (A. B. C. Syr.) sequentibus pro lectione *τὸν θεόν*, quam frustra tueri studet D. W., est restituendum. *Ἁγιάσαι* a plerisque de Deo vel Christo a Christianis timendo magis quam adversariorum impetu accipitur. Non satis recte, uti nobis videtur. Consulto enim apostolus omisit, simili modo atque ante (v. 12), quae apud Jesajam continuo sequuntur: *καὶ αὐτὸς ἔσται σου φόβος* (LXX), omni omnino modo mutata prophetae sententia. Cum metui metuentium in priore membro substituerit terrentium terrorem, in posteriore Christum Deo, ut clarius etiam appareret, nil esse omnino timendum, immo salutem et praesidium in Christo adesse. Cfr. quae statim sequuntur apud Jesajam וְהָיָה לְמִקְדָּשׁ (LXX: *κἂν ἐπ' αὐτῷ πεποιθὼς ᾖς, ἔσται σοι εἰς ἁγίασμα*). Hinc rectius videtur *ἁγιάζειν* hoc loco eodem sensu quo Mtth. VI, 9. Luc. XI, 2 legitur accipiendum. Wie-

Quae sequuntur de ratione adversariis etiam leni animo reddenda descriptioni accuratiori inserviunt, quid deceat Christianum διὰ δικαιοσύνην vexatum, eoque magis hoc loco desiderantur quia Christiani utpote liberati ab omni adversariorum timore Christique domini solius obsequio vindicati liberi etiam ab illo officio sibi videri facile potuerunt. Ad nostram vero quaestionem solvendam plurimum facit membrum finale, id quod ab interpretibus fere negligitur. Alio enim prorsus modo hoc loco de adversariis bonis Christianorum operibus convincendis loquitur apostolus atque loco perquam simili II, 12. Illic enim gentilium conversio ad Christum praedicitur tum demum futura cum quos ante male interpretati essent Christianorum mores qua excellant sanctitate agnoverint. Hoc vero loco, singulis verbis considerate exploratis — ἵνα καταισχυνθῶσιν οἱ ἐπηρεάζοντες contrarium quid dici multoque durioribus verbis adversarii increpari videntur. *Καταισχύνεσθαι* enim qua vi a Petro usurpetur unus ille locus II, 6 documento est[1].

Accedit quod hoc loco additum videmus participium οἱ ἐπηρεάζοντες. Ut gravius etiam notentur adversarii, antecedenti καταλαλεῖν superadditur hoc verbum, praedicato non sine magna vi postpositum. Recte a Steigero et aliis monetur malevolentiae et invidiae notam inesse[2]. Neque hoc est negligendum, non omnino de bonis Christianorum operibus h. l. sermonem esse, sed vitae sanctitatem ad eam quae Christianis cum Christo sit vitae communionem referri (τὴν ἀγαθὴν ἐν Χριστῷ ἀναστροφήν) ideoque adversariorum animum in Christum non minus quam

singer: „*Der Ausdruck umfasst an sich alles Verhalten des M., das eine Anerkennung der Heiligkeit Gottes in sich schliesst.*“ — „*Sorgt nur dafür, dass euer Herz ein Tempel Christi sey, in welchen ihm als Herrn die gebührende Ehre gegeben wird*“ — —. Id quod commendatur nomine κύριος cum vi anteposito. Cfr. δοξάζειν IV, 16 (Grotius). Verba ἐν ταῖς καρδίαις et quae statim sequuntur non obstant. Interno animo Christus ut dominus venerandus dicitur, quia res Christianorum externae fortem Christi gubernationem et victoriam tunc minime comprobare visae sunt. (Aliter Wiesinger.) Quae vero sequuntur adjungi ita ut aliud quiddam (δέ) addi appareat, timorem autem cujus ibi mentio fiat, non tam Dei dici quam eorum apud quos ratio sit reddenda ipsumque rationis reddendae habitum ac mentem sic significari in aprico est. Spei vero commemoratio, nisi fallimur, nostrae favet sententiae (Oec.: τὰς ἐλπίδας ἡμῶν ἀπεφαίνοντο κενάς).

1. Wiesinger: „*factisch zu Schanden werden.*“ II, 7 apostolus ex hoc ipso verbo sortis discrimen inter fideles et infideles derivat.

2. Quibus exemplis e Demosthene, Plutarcho al. allatis probaturus est Pottius significare hoc verbum „calumniam ad judicem delatam“, ea partim male intellecta nihil efficiunt de significatione quae inest in verbo per se spectato. Apud Xenophontem qui post Herodotum primus hoc verbum saepius usurpat, nunquam quantum scio hoc sensu reperitur. Veteres ipsi significationem verbi satis clare circumscripserunt. Arist. rhet. II, 2: Ἔστιν ὁ ἐπηρεασμὸς ἐμποδισμὸς ταῖς βουλήσεσιν, οὐχ ἵνα τι αὐτῷ, ἀλλ' ἵνα μὴ ἐκείνῳ. Eandem prorsus significationem habet in Demosthenis loco, quem Pottius pro argumento affert (Midian. p. 413). Cfr. Wass. ad Thucyd. I, 26. Apud externos scriptores solet sane cum dativo personae construi, sed etiam accusativus adjungitur. Hinc voluit Stephanus (sub finem dissertationis de stylo Ni. Ti.) accusativum ab αἰσχυνθῶσιν — praepositione κατά expuncta — pendere. Perperam. In No. To. ubicunque obviam est, accusativus vel personae vel rei adstruitur, neque vero inde cum Elsnero (ad Mtth. V, 44) derivanda est ea, quam Pottius voluit h. l. significationem. Immo Mtth. V, 44 et Luc. VI, 26 generali prorsus significatione usurpatur. Hinc eundem qui apud profanos scriptores in No. To. obtinere usum statuendum est, structurae tamen legibus uti in multis verbis aliquantum immutatis.

in Christianos infestum exprobrari. Adversarii, sic argumentatur, vos reprobant uti Christum ante (II, 4. 7. cfr. Jes. VIII, 14. cf. 12); sed quem in finem nisi ut reprobentur malevoli ipsi. Hanc spem ut firmam teneant, continuo ad Christi victoriam conspicuam in illius a mortuis reditu transit apostolus (18), judicii extremi (IV, 6) mentione deinde absolvens argumentationem.

Melius nunc intelligimus quo spectet illud *μακάριοι*, facilius jam interpretabimur quod sequitur *κρεῖττον* idem spectans; nam quantumcunque fortasse in singulis erraverimus, hoc demonstrasse nobis persuasum est, inde a nono et duodecimo versu omnia magis magisque eum in finem niti, ut amplius non tam officium patienter et sancte sustinendi vexationes inculcetur Christianis, quam spes confirmetur, fore aliquando ut Christi victoria jam reportata fruantur Christiani cum in iisdem ante vexationibus versati sint atque ille, adversariis vero a quibus jam premantur justum imminere Dei Christique judicium. Cujus disputationis ultimos fines habemus in capitis IV versibus 5. 13. 17. 18 singula argumentationis capita absolventibus. Nodum vero et quasi singulorum filorum complexum versu duodevigesimo tertii et sexto quarti capitis contineri statuimus, qui *τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας*, insignem illam epistolae summam, quomodo in Christo ipso conspicua sit et Christianis eodem modo communicanda ostendunt.

V. 17. *Κρεῖττον γὰρ ἀγαθοποιοῦντας, εἰ θέλοι τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, πάσχειν ἢ κακοποιοῦντας.* Rectissime vidit De Wette *γάρ* particulam non tantum ad versum proxime antecedentem referendam esse sed totam sententiarum seriem a versu decimo quarto incipientem nostro concludi. Quid quod omnis omnino illa disputatio, qua inde a capite secundo de Christianorum innocentia in vexationibus probanda servandaque agitur, hoc versu quadam quasi summa absolvitur, ita ut nisi sub finem capitis quarti nulla illius mentio fiat amplius. Simul vero inest, uti debuit, ea notio, qua transitum ad novam argumentationis partem auctor sibi paret.

Verumenimvero quid conjunctionis huic cum proximo versu intercedat, non nihili faciendum est. Participia *ἀγαθοποιοῦντες* .. *κακοποιοῦντες* aperte respiciunt ad *ἀγαθὴν ἀναστροφήν* — *συνείδησιν* et ad illud *ὡς κακοποιῶν* versus decimi sexti. Atque ita sunt conjuncti hi versus, ut quod in rei ipsius exitu conspicuum ante oculos ponat prior, idem verbis ponderosioribus sententiae instar proferat alter. Etenim si Christiani exploratione quadam quondam facta malefici reperiantur, reprobatio illa, quae versu priore adversariis annuntiatur, in ipsos recidat necesse est, neque quidquam fructus e calamitatibus istis in eos redundabit, quippe male facta merito luentes (cf. IV, 15. II, 20). Sin vero, quod praesumitur ab apostolo in antecedentibus ad rationem spei reddendam exhortante, insontes plectuntur: erit, illucescet aliquando dies, in qua reprobatis calumniatoribus Christianorum innocentia comprobetur et quae perpessi sint, reficiantur. Hinc istud *κρεῖττον* quod sequitur. Quo vero fundamento spes illa nitatur, addit versus duodevigesimus, quocum conjunctus demum decimus septimus explicationi est voci *μακάριοι* omninoque antecedentibus conclusioni.

V. 18. *Κρεῖττόν ἐστιν ἀγαθοποιοῦντας πάσχειν — ὅτι καὶ Χριστὸς ἅπαξ — ἔπαθε δίκαιος.* — Christum, quae et quomodo omnia perpessus esset, Christianis summum esse exemplar quod ut sequerentur obstrictos eo

magis teneri, quum in ipsorum usum et fructum omnia in se suscepisset, ante docuit (II, 21 sq.). Neque a nostro loco exempli vim omnino alienam esse apparet e versu primo capitis quarti, qui quidem simul ostendet alio atque ante verti hoc loco exempli obligationem. Primum vero et summum in sententia locum hoc versu omnino non obligationi cujuscunque generis tribui licere, uti e nexu cum antecedentibus arctissimo jam divinatur, ita vocula *ἅπαξ* magna cum vi praedicato anteposita confirmatur. Hac maxime in voce conspicuum est quid novi in sententiarum processu nunc ab apostolo inferatur. Obligationem in capite secundo descriptam nunc sequitur praemium a Christo primo acquisitum cum Christianis vero communicandum (ut praemio nomine appellemur, quae *τὰ Χριστοῦ παθήματα* secuturae dicuntur *δόξαι*). Hinc conducit eum sequi vel in mortem ipsam, hinc beati praedicandi Christiani mediis in vexationibus constituti[1]. At quo jure haec omnia in *ἅπαξ*? Satis notus est interpretum hac de voce dissensus, notata vero minus quam debuerit multorum hac in re incuria. Ante omnia latere non debuit, non exempli instar omnino quae Christus passus est hoc loco commemorari. Quomodo enim scribendum fuerit, si apostolus nihil nisi Christi passionem denuo in memoriam revocare Christianis voluit, ostendit II, 21: Deinde versu decimo septimo praemisso si ad Christi exemplum provocare voluisset, primum post *Χριστός* locum potius debuit *δίκαιος* habere, quo recte vidit De Wette notionem istius *ἀγαθοποιῶν* quod antecederet (v. 17) exaggeratam etiam iterum recipi[2]. Vel certe tum istud *ἅπαξ* nullo alio sensu adjungi potuit nisi temporis praeteriti[3]), quem non habet, vel eo quem sane post particulas argumentationis (*ἐπεί*, *ἐάν* simil.) habere solet, uti nostrum: „*da einmal*," quem tamen alienissimum a loco nostro gravissimo nemo praeter Hottingerum interpretum proposuerit. Neque illa est explicatio ferenda, qua *ἅπαξ* arctius cum verbis *περὶ ἁμαρτιῶν* conjunctum significet expiationis opus et sacrificium per Christum ita esse effectum, ut nulla unquam desideraretur iteratio. Quae Pottii aliorumque explicatio sane verborum cum significationi tum collocationi bene respondet, sed alienam prorsus sententiam loco nostro inculcat, id quod recte opposuerunt De Wette, Huther, al. Quam vero hi ipsi proponunt loci explicationem parum accurata videtur. Recte quidem statuunt *ἅπαξ* cum verbo *ἔπαθε*[4] ita conjungi, ut quae porro Christus egerit, vel ex Hutheri emendatione, qui deinde secuti sint vitae ejus status[5] opponantur.

---

1. Hunc nexum rectissime perspexit Wiesinger: *Begründung des Gedankens v. 17 durch Hervorhebung auf den Mittler des Heils, der auf dem Wege des Leidens, das er, der Gerechte, für Ungerechte erduldet hat, nicht blos für sich die Herrlichkeit des Geisteslebens gewonnen, sondern uns damit Gott zugebracht hat, so dass mit ihm leiden muss, wer an seinem Heile theil haben will.*"

2. *δίκαιος* „*ist der absolute Begriff des ἀγαθοποιῶν*" p. 70.

3. „Aliquando." Ita Grotius et Hensler qui male intellexerunt quos afferunt locos. Neque in No. To. neque quantum scimus apud Alexandrinos haec significatio, quam omnes scriptores Graeci respuunt, invenitur. De significatione verbi cf. Bleeck in Ep. ad Hebr. III. 179 sq. 507 sqq.

4. „*Im Gegensatze mit seiner übrigen erlösenden, richterlichen und herrschenden Thätigkeit*" (v. 19—22. IV. 5, 7) D. W.

5. „*Durch ἅπαξ wird im Verhältniss zu dem nachfolgenden Leben Christi das Einmalige seines Leidens hervorgehoben.*"

Sed quid inde de hujus vocis in sententia vi, quid de sententia versus ipsa necessario sequatur, id vero parum attendunt, nisi quod Hutherus addit: *„vielleicht mit der Nebenbeziehung, dass auch der Christen Leiden nur ein einmaliges, mit dem Ende dieses Lebens abgeschlossenes sei."* Non „fortasse etiam" tale quid, sed quod nervi instar argumentationi inserviat hac particula contineri necesse est, id quod vel ex insigni quo posita est loco emergit; alioquin scribendum fuerat: ὅτι καὶ Χριστὸς ἔπαθεν ἅπαξ περὶ ἁμαρτιῶν. De significatione porro verbi ex concessis argumentari licet; scilicet non id solum affirmatur hoc versu Christum etiam passum esse, sed ita passus dicitur, ut passionem deinde aliud quid consecutum sit, quod sit illi oppositum[1].

Quodsi qualem statum consequentem in mente habuerit apostolus anquiramus, ab ipso dilucide indicatum videmus sub finem hujus versus verbis ζωοποιηθεὶς πνεύματι. In quibus ut luculentius appareat alterum illum vitae statum passioni oppositum contineri, summam passionis in morte conspicuam in priore additamenti bipartiti membro repetitam videmus. Hinc patet, quapropter particula ἅπαξ cum vi anteposita fuerit, scilicet ut ab initio statim significaretur laetissima illa passionis et mortis Christi in vitae triumphum permutatio[2]. Ita concidit etiam, quod per se satis recte huic explicationi opponi meminimus, hac una particula parum graviter et accurate indicari, quid novi jam in sententiarum consecutione inferatur. Immo qui quae antecedunt accuratius consideraverit, statuat necesse est, nisi leviter certe ab initio statim de sequente illa status permutatione praemonitum fuerit, illud κρεῖττον et μακάριοι — sola repetita passionis Christi mentione excipi omnino non potuisse. Sequitur sane simul, ut bipartitam illam versus conclusionem „θανατωθεὶς μὲν σαρκί, ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι" arctiore vinculo antecedentibus adstructam statuamus.

Et mirum, qui fieri potuerit, ut Hutherus aliique vinculum illud valde relaxarent, cum ipsi tamen discrimen singulorum in Christi vita statuum voce ἅπαξ indicari statuerent et participia illa subsequentia cum verbo ἔπαθε jungerent, enuntiato finali reliquis subjuncto. Ita enim profecto periodus haec comparata est, ut in versus fine demum requiescat lectoris vox et meditatio totaque argumentatio prius non concludatur.

His expositis non dubitamus argumentationis summam cum Bengelio hanc dicere: „Melius est semel cum Christo pati quam in aeternum sine Christo[3]." Nam hoc posterius licet verbis non indicetur, latet tamen in antecedenti sententia „πάσχειν κακοποιοῦντας." Neque illi

1. Wiesinger rectissime: „*Von dem ἅπαξ aus fällt* ***sofort*** *vermöge der Gleichstellung durch* καί „„*ein tröstliches Licht auf das Leiden der Christen*"" (Besser), *das* ***ein Mal*** *erduldet*, ***für immer der Herrlichkeit theilhaftig macht.*** *Ἅπαξ ἔπαθε nämlich sagt der Ap. von Christi Leiden (vgl. Hebr. IX, 27. 28. Rom. VI, 9. 10) indem er auf den Ausgang seines Leidens θανατωθεὶς μὲν σαρκί, ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι vgl. mit v. 22 hinblickt.*"

2. Cfr. quae nuperrime hoc de loco scripsit E.(ngelhardt) in *Zeitschrift für Protest. Erlangen 1856 IV* p. 269. Flacius: „sicut igitur commendatur nobis in Christo exemplum ferendae crucis, ita etiam spes gloriosae liberationis nobis ejusdem exemplo proponitur, juxta illud Rom. VIII, 17: si cum illo patimur, simul cum illo regnabimus."

3. Cfr. Wiesinger.

errant, qui dixerunt[1], quam breve esset tempus, quo talia perferenda Christianis, significare hac particula apostolum, cum mortem a vita recuperata continuo exceptam diceret passionem semel absolutam. Hoc ipsum autem consolationis argumentum per epistolam suam amplexari quodammodo videtur apostolus (cf. I, 6. 8. II, 11. V, 10).

Sed reliquum est ut ostendamus, quomodo cum horum verborum explicatione quadrent quae reliqua hoc versu leguntur; *περὶ ἁμαρτιῶν* scilicet passus esse dicitur Christus *δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων, ἵνα ἡμᾶς προςαγάγῃ τῷ θεῷ*. Pro Christianis expiandae ipsorum culpae causa mortem perpessum esse Christum, uti supra (II, 24. 25. cf. pag 8 sq.) ita hoc loco additum esse potuit non alia de causa nisi ut arctiore etiam obligationis vinculo Christiani tenerentur. Sed supra jam ostendimus obligationis vim omnino non esse propriam nostri loci. Quo vero spectet apostolus facile cognoscitur ex enuntiato finali: *ἵνα ἡμᾶς προςαγάγῃ τῷ θεῷ*. Hoc enim verbo confirmatur, quam totius loci nexus suadet, opinio, non tam de expiatoria quae dicitur Christi mortis vi quam de hominibus ad Deum reducendis sermonem esse, ita ut hoc verbo simul omnia ea contineantur, quae e Christi resurrectione et ascensione infra commemoranda ad Christianos redundent[2]. Hinc potuerunt participia illa *θανατωθείς* et *ζωοποιηθείς* arctiore quidem vinculo cum *ἅπαξ* — *ἔπαθε* juncta sub finem addi, quia quod ad sensum attinet argumento sunt simul verbo *προςαγάγῃ*. Aperuit quidem ad Deum viam tantummodo mors et omnia quae pro hominibus perpessus erat Christus, persecutus vero est Christus hunc ipsum mortis finem e mortuis ad patrem redux. Ita facile apparet, haec quoque membra sententiarum nexui bene injungi. Id jam agitur, ut ad plenam illam salutis sortem adducantur Christiani superatis omnibus quibus in hac vita premantur calamitatibus, impediantur peccatis. Ex IV, 1 enim discimus deinde, apostolum simul de nexu illarum calamitatum cum sanctificatione et purificatione a peccatorum culpa agere.

Porro ad ipsa ultima versus verba accuratius etiam attendendum est: *θανατωθεὶς μὲν σαρκί, ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι.*

Singulis singula verba respondent, uti infra IV, 6 similis prorsus bimembris sententia verbis eadem cum elegantia et cura conformatis legitur. *Σαρκί* — *πνεύματι* dativos relationis esse evicit Winerus (Gramm. §. 31, 6 ed. sextae). Christus scilicet quatenus carnem habuerit expertus esse mortem, quatenus spiritus sit recuperasse vitam dicitur, atque quemadmodum quid mors fuerit illi ex carnis ita ex spiritus natura judicanda ejus vita. *Σάρξ* a plerisque recte de externa natura humana, qualis est in hoc mundo morti obnoxia, accipitur. Altera notio difficilior est intellectu. Recte a recentioribus *πνεῦμα* de divinae vitae homini gratiae ope ingenitae vi ac principio accipitur, ex quo fluat illa post hanc terrestrem vita beata et glorificata.[3] Quae infra sequuntur

---

1. Joh. Gerhard, Steiger.

2. Bengel: „Ut nos, qui abalienati fueramus, ipse abiens ad Patrem secum una justificatos adduceret — — per eosdem gradus, quos ipse emensus est exinanitionis et exaltationis. Ex hoc verbo Petrus usque ad IV, 6 penitus connectit Christi et fidelium iter sive processum.“

3. Cfr. Wiesinger p. 234 sq.: „*σάρξ dasjenige, was dem Menschen von seiner natürlichen Geburt her eignet und seine Gemeinschaft mit der Welt vermittelt, πνεῦμα*

de hominibus judicatis σαρκί, viventibus πνεύματι, nostro loco ad verbum respondentia nullam omnino de apostoli mente admittunt dubitationem. Christo sane natura competit, quod gratia donatur peccatoribus. Quae Pauli loca afferri solent (Rom. I, 3. 4. 1 Tim. III, 16), non prorsus eodem modo comparata esse videntur.

Veteres fere omnes, recentiorum nonnulli vocem πνεύματι de divina Christi natura intelligunt,[1] ut eandem referat sententiam noster locus quam Pauli ille (2 Cor. XIII, 4): „ἐσταυρώθη ἐξ ἀσθενείας, ἀλλὰ ζῇ ἐκ δυνάμεως θεοῦ." Quod ad rem attinet, satis recte. Nam tota scriptura contestatur, Christi resurrectionem non nisi divina potentia effectam esse. Sed solet a Petro etiam (I, 1, 3. Act. II, 24) Deo patri tribui filii resuscitatio, non illi divinae potentiae quae in Christo ipso fuit, de qua necessario nostro loco cogitandum esset. Obstat etiam dativus.[2] Non vis et potentia, ex qua nata sit nova Christi vita, sed ambitus, ut ita dicam, seu ratio et natura vitae istius significatur, qua Christus e mortuis redux utitur.[3] Spiritualis scilicet est, carnis inopiae et angustiarum expers, honoris et gloriae vitae divinae particeps;[4] uti Paulus ipsum illud corpus, quo indutos fore dicit fideles, cum resuscitantur, appellat σῶμα πνευματικόν. Qua potentia utens Christus redierit in vitam hoc loco docere nihil refert apostoli, immo ita victoriam crucis mortem secutam describit, ut congruam esse appareat cum sorte hominum, justorum tamen et piorum, qui et ipsi mortem carnis perpessi ad vitam meliorem resuscitandi sint. Rectissime vidit Flacius: „esse quandam locutionem a communi omnium piorum sorte sumptam aut eo certe respicientem"[5] ita tamen ut Christus describatur tanquam dux qui viam aperuerit reliquis: ἵνα ἡμᾶς προςαγάγῃ τῷ θεῷ, θανατωθεὶς μὲν σαρκί, ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι. Nunc melius perspicietur, quo jure istud προςαγάγῃ τῷ θεῷ ad expiationem peccatorum ne restringeretur, dehortati sumus.

Verbo θανατωθῆναι nusquam in No. To. notari summum supplicium seu capitalem poenam recte monuit contra Wahlium Huther. Hoc loco omnis vis in dativo σαρκί posita est, ut apparet quam maxime ex IV, 1 (Χριστοῦ οὖν παθόντος σαρκί), quae verba ad nostrum versum respiciunt comprehenduntque utrumque illud Χριστὸς — ἔπαθε et — θανατωθεὶς σαρκί. Hinc vertendum erit „mortem passus carnis" eo sensu,

---

aber im Gegensatze zur σάρξ nicht das natürliche, sondern das in der Wiedergeburt ihm geschenkte Princip seiner Gottesgemeinschaft."

1. θανατωθεὶς μὲν τῇ φύσει τῆς σαρκός, τουτέστι τῇ ἀνθρωπίνῃ, ἀναστὰς δὲ τῇ δυνάμει τῆς θεότητος. Oecum. Theophyl. — Calvin. (divina potentia). — Gerhard, Calov. Inter recentiores Philippi (in ep. ad Rom. Ed. II p. 20). Schmid, *bibl. Theol. II*, 166. Weiss, *Petrin. Lehrbegr.* p. 252 sq. al.

2. Recte Steiger: „*Der Dativ πνεύματι kann hier um des Gegensatzes σαρκί willen nicht mit durch wiedergegeben werden.*

3. Bengel: „Caro et spiritus non denotant proprie naturam Christi humanam et divinam, sed principium statumque vitae et operationis congruae vel inter mortales, quamlibet justae, vel cum Deo, etiam gloriosae."

4. Hofmann *Schriftbew. II, 1* p. 336: „*Das dem Tode verfallene Leben war ein Fleischesleben, das heisst ein solches, welches an der gegenwärtigen Beschaffenheit der menschlichen Natur, an der Aeusserlichkeit ihrer Weltgemeinschaft seine Bestimmtheit hatte. Das wiedergewonnene Leben ist ein Geistesleben, das heisst ein solches, welches seine Bestimmtheit von dem Geiste hat.*" — „*σαρκί — πνεύματι eine adverbiale Näherbestimmung für θανατ. und ζωοπ.*" Cfr. Luther apud Wiesingerum p. 235.

5. Gloss. comp. fol. 1242.

ut morte contineatur summa passionis illius quam in carne sustinuerit Christus. Jam cum vi opponitur *ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι*, ex morte autem redux factus et ad spiritualem quidem vitam. Cum in *θανατωθῆναι σαρκί* passionis significatio contineatur, facile apparet *ζωοποιηθῆναι πνεύματι* non posse intelligi nisi de statu glorioso, quam significationem in verbis ipsis reperisse perperam nonnulli sibi visi sunt.[1] Verbis enim per se spectatis de sancta coram Deo agenda vita, ab omni peccatorum contaminatione aliena, uti illius in hac vita initium IV. 1, 2 describitur, magis quam de statu gloriae et potentiae agere apostolus videri potuerit. Caeterum *ζωοποιηθῆναι* ipsum non de „conservatione in vita" sed „de revocatione in vitam"[2] necessario accipiendum esse non equidem recoquerem, nisi Guederus nuper Hensleri, Steigeri, al. errorem accuratius interim ab Huthero[3] refutatum mira cum linguae incuria denuo venditasset.[4] Scriptores novi testamenti ad unum omnes et LXX interpretum plerique ita utuntur hoc verbo, ut idem sit quod *ἐγείρειν*, vita defunctos e morte resuscitare. Joh. V, 21: *ἐγείρει τοὺς νεκροὺς καὶ ζωοποιεῖ.* 1 Cor. XV, 36: *ὃ σπείρεις, οὐ ζωοποιεῖται, ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ*[5] Aliis in locis latiorem significationem habet reficiendi; e tristi statu[6] erigendi: ita *ζωοποίησις* Esra IX, 8. 9. *ζωοποιεῖν* Ps. LXX, 20. Job XXXVI, 6. Eccl. VII, 13. Unus exstat locus, quantum scimus, Nehem. IX, 6, ubi facilius de rerum conservatione intelligi videatur quam de creatione vel revocatione in vitam. Sed nihil obstat, quin hoc loco accipiamus de ea Dei potentia, ex qua omnia, coelum, terra, mare novis usque *ζώοις* repleantur. Ita videtur מְחַיֶּה אֶת־כֻּלָּם sequi antecedens עָשִׂיתָ וגו׳. Alias enim Piel et Hiphil verbi חיה quoties de vita conservanda usurpantur, toties redduntur verbo *ζωογονεῖν* (cf. 2 Mos. I, 17. 18. 22. 1 Reg. XX, 31. 2 Reg. VII, 4. Jud. VIII, 19) vel aliis sententiae singulorum locorum accuratius accommodatis verbis, ut *θρέψαι*, *ἐκθρέψαι* (1 Mos. VI, 19. 20. L, 20; VII, 3. Jes. VII, 21. Ps. XXX, 4. 1 Mos. XLV, 7) vel *ζωγρεῖν* (Jos. VI, 25 al. 2 Sam. VIII, 2). *σώζειν* (1 Mos. XLVII, 25), *περιποιεῖσθαι* (1 Mos. XII, 12), *ζῆν* (ibid. XIX, 19). — Ubi vero vim habet procreandi, verbi causa: prolem (pro Hebr. חִיָּה זֶרַע) reddunt verbo *ἐξαναστῆσαι* (1 Mos. XIX, 32. 34). Interpres autem Nehemiae הַיְחַיּוּ אֶת־הָאֲבָנִים (II, 34) elegantissime vertit: *ἰάσονται τοὺς λίθους*. *Ζωογονεῖν* contra semel ita legitur, uti alias *ζωοποιεῖν*: 1 Sam. II, 6 cf. 1 Tim. VI, 13, qui posterior locus non nihil fecerit ad explicandum illum Neh. IX, 6.

Christus postquam mortem expertus est cum in vitam revocari dicatur, non potest non de animae cum corpore conjunctione denuo ineunda cogitari, ita tamen ut novae istius vitae ratio non amplius pendeat ex carne sed ex spiritu liberato et cum Deo prorsus unito. *Ζωοποίησις* Christi igitur reapse eadem est quae *ἀνάστασις*, quo verbo

---

1. Cfr. Doederlein, Morus, Storr (apud Steigerum p. 345) qui de statibus exinanitionis et exaltationis hoc loco indicatis cogitaverunt. Flattius etiam in docta commentatione: de significatione vocis *πνεῦμα* 1 Petr. III. 18 coll. IV, 6 statuit, *ζωοποιεῖν* valere posse: „beatam vitam tribuere." cfr. Opusc. acad. ejd. p. 83.

2. Winzer Annotationes ad loca prioris ep. Petri III, 18—22 et IV, 6 p. 3.

3. Cfr. Weiss *Petrin. Lehrbegriff* p. 231.

4. Cfr. l. l. p. 40 not. 2.

5. Cfr. Joh. VI, 63. Rom. IV, 17. VIII, 11. 1 Cor. XV, 22. 45. 2 Cor. III, 6. Gal. III, 21 cfr. LXX 2 Reg. V, 7. VIII, 5.

6. Cfr. simplex *ζωόω*, Ps. LXXXIV (LXXXV), 7.

deinde participii nostri notionem denuo recipi videbimus (v. 21); differunt tamen ita, ut ἀνάστασις simul contineat, quo quasi documento et actu vim suam exhibeat vita corpori mortuo reddita, alterum vero ζωοποίησις simpliciter declaret „animae corporisque conjunctionem." (Buddeus.)

v. 19. ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν. — Ante omnia Guederi explicatio refutanda est, qui ἐν ᾧ particulae conjunctivae instar positum putat et vertit: „*desshalb oder dabei er nämlich predigte.*"[1] Apud Graecos emendate scribentes ita inveniri negat gravissimus auctor Winerus.[2] Bleeckius vero ad Hebr. II, 18 (II, p. 367) ne novo quidem testamento talem hujus formulae significationem concedit, rejecto vel eo loco, qui solus eam probare videtur visusque est Winero (l. l.), Rom. VIII, 3 dico.[3] Petri certe usum parum perspexit Guederus. Apud quem quoties invenitur ἐν ᾧ (I, 6. II, 12. III, 16. IV, 4) toties simplicem relativi vim facile agnoscas.[4] Hoc unum discimus e locis istis collatis, laxiorem esse quae fieri soleat hac formula conjunctionem eamque enuntiatorum potius binorum quam enuntiati cum verbis singulis antecedentibus.[5] Infra IV, 4 id ad quod respicit relativum latet in verbis: ἀρκετὸς γὰρ ἡμῖν ὁ παρεληλυθὼς χρόνος τοῦ βίου τὸ βούλημα τῶν ἐθνῶν κατεργάσασθαι — — ἐν ᾧ ξενίζονται. — Hoc loco et Hebr. VI, 17 proxime adest ad quod respiciat relativum, πνεύματι scilicet. Sed errare videntur qui haec ita conjuncta esse censent, ut quae sequuntur de spiritu praedicentur, quasi de hoc solo et per se spectato in antecedentibus sermo fuerit.[6] Hoc vel propterea vix licuerit, quia πνεύματι et σαρκί in antecedentibus adverbialem fere vim habent et in unam paene notionem cum verbis suis coaluerunt. Jam aptissime annectitur proximum enuntiatum formula ἐν ᾧ, quae mera est repetitio antecedentis membri compendio dicti, in hanc sententiam: „*in diesem Zustand, so geistlebendig.*"

Sic etiam istud καί facile explicatur. Jungendum est enim neque cum πορευθεὶς ἐκήρυξεν, nam nihil quod praeterea egerit Christus refertur, neque cum τοῖς — πνεύμασι[7], nullo enim modo intelligitur quibus

---

1. l. l. p. 42 sq.
2. Gramm. ed. VI p. 346, 1 (ed. V p. 463).
3. Hebr. II, 18 et VI, 17 alio modo explicanda esse elegantissime docuit Bleeckius. Rom. II, 1. 1 Petr. II, 12 Winerus l. l. enodavit. De tempore usurpatur in No. To. Marc. II, 19. — Rom. VIII, 3 ab omnibus quantum scio interpretibus melioris notae — Fritzsche, Meyer, Philippi — pro particula causali accipitur. Tamen Bleeckio in eo est assentiendum, licere ἐν ᾧ ἠσθένει cum antecedentibus ita jungi ut relativi notio servetur salva loci sententia. Aliena videtur Hofmanni explicatio: „*während.*" *Schriftbew. II, 1* p. 240.
4. Cfr. Hutherum ad II, 12 et IV, 4.
5. Ita Hebr. VI, 17 cum ὅρκος proxime antecedente est jungendum ita tamen, ut quae de jurejurando dicta sint modo, relativo simul assumantur. Rectissime Bleeckius: „*da die Sache sich so verhält, da der Eid einmal als sichre Bekräftigung einer Aussage dient.*" III p. 259.
6. Hofmann *Schriftbew. II, 1* p. 336. Schmid *bibl. Theol. II* p. 173. Weiss *Petrin. Lehrbegriff* p. 232, qui inde concludit, corpore deposito descendisse Christum ad inferos, cfr. nuperrime Messner *Lehre der App.* p. 149.
7. Wiesinger (p. 238) praefert sane conjunctionem cum vocabulis τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι. Sed quae inde necessaria existit inter Christianos fideles (ἡμᾶς) et infideles illos comparatio abhorret prorsus a mente apostoli (v. 12. IV, 17. 18. II, 9), ita ut quae suae opinioni favere putat vir doctus, quam maxime obstent, quin verba sic conjungamus.

opponantur vel adjungantur, sed aperte cum relativa enuntiatione ἐν ᾧ, ita ut notio quae in ea latet (ζωοποιηθεὶς πνεύματι) urgeatur. Nam haec est summa eorum quae sequuntur, ut quid Christus redivivus et ad statum gloriae redux egerit referant. Redivivum esse dixit; jam egisse eundem (καί) additur, quae convenirent in victorem mortis injuriarumque adversariorum. Ita si explicatur, facile apparet, quae sequuntur, et ipsa inservire explicationi versus decimi septimi.

Quid vero egerit continetur verbis: πορευθεὶς ἐκήρυξεν τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι. — Praedicasse dicitur Christus e mortuis redux conferens se in alium locum atque in quo fuerit, donec ipse anima a corpore separata in mortis conditione esset,[1] in eum quidem locum, ubi φυλακῇ continerentur πνεύματα ista, quorum natura deinde accuratius definitur. Quae quamvis quot verba tot aenigmata esse videantur, tamen universam eorum sententiam eam quam proposuimus ultro offerri, consideranti cum singulas verborum notiones tum sententiarum inter se cohaerentiam haud ambiguum esse potest.

Fuerunt tamen et sunt etiamnunc qui hunc a proximo versu ita separent, ut quae verbis ἐν ᾧ καί inferantur, gesta esse censeant bis mille annis ante quam Christus homo factus esset, ne dicam e mortuis redux, Noachi scilicet temporibus, per Christi spiritum in hoc ipso praesentem perque eum loquentem.[2] Quibus quominus assentiamur plura obstant, quae paucis absolvamus.[3] De vi quam istud ἐν ᾧ καί habere videretur supra disputavimus. Qua de re disceptari posse cum facile largiamur, ad eam quae insit verbo πνεύματι notionem primum revocamus litem. Hac notione qui divinam Christi naturam significari censent (Gerhard Comm. p. 453. Pistorius l. l. p. 12. al.) non immerito istud ἐν ᾧ ita acceperint, ut adjungerentur quae divino isti in Christo spiritui per se spectato tribuenda essent, gesta fortasse etiam ante quam cum humana in Jesu natura se junxisset, quemadmodum I, 11 ab ipso Petro refertur divinum et aeternum Christi spiritum per prophetas olim locutum esse. Qui vero nobiscum statuunt πνεύματι non posse non de altera Christi quippe hominis facti quasi parte intelligi, ex qua demum vitae et gloriae aeternae usus et fructus competat humanae ipsius naturae, licentia prorsus illicita utuntur, continuo tenore de spiritu Christi agi opinantes cui nihil tum cum Christi humana natura nedum cum glorificato ejus statu fuerit negotium. Ablegamur quidem cum quadam veri similitudine ad omnes eos locos, in quibus Christus spiritus testimonio et opera vitae suae recuperatae vim in homines exseruisse dicatur (Besser l. l. p. 260). Quo quidem testimonio quemadmodum post Christi mortem convincerentur infideles, eodem modo etiam (καί)[4] illo tempore, quippe quod esset lectorum aevo simillimum, aequalium Noachi incredulitatem redarguisse Christum ipsum in spiritu suo praesentem. At

1. Id quod summi momenti est, cum ab aliis (e. c. Guedero) quae Act. II, 27 de animae Christi inter mortuos statu dicuntur importune nostro loco immisceantur. Cfr. contra eos Thomasium *Christi Person und Werk II* p. 238 sq.

2. Ita Augustinus, Beda, Thomas Aquinas, Nicol. de Lyra, Beza, Joh. Gerhard; inter nostrates Pistorius (*Zeitschrift für ges. Luther. Theol. u. Kirche VII*, 2 p. 3 sqq.), Besser (*Bibelstunden VI* p. 261 sqq.), Hofmann (*Schriftbew. II, 1* p. 336 sqq.).

3. Conferas quae nuper Wiesinger ad hanc loci interpretationem refutandam acute protulit l. l. p. 236 sqq.

4. Hanc vim istud *καί* habere statuit Besser p. 260.

primum obstat quod aperte verbis ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι non de victoria Christi in homines πνεύματι exhibita sermo est, sed de vita in Christum ipsum mortuum πνεύματι collata. Cujus vitae quidquid documento esse possit, si verbis proximis ἐν ᾧ καί additum non contineatur, loco nostro omnino perperam infertur. Jam facile apparebit istud καί potius repugnare ei cujus in auxilium vocetur sententiae. Idem Christus aperte qui ante ζωοποιηθείς dicitur deinde πορευθεὶς κηρύξαι. Omnino vero etiam illam temporum Noachi et lectorum comparationem primum in argumentatione locum non habere, ipsa verborum structuraeque ratio docet. Poenae notio, maxime autem Noachi nomen, quippe per quem Christus praedicasset, debebat alio prorsus modo eminere. Summam potius vim habet cum ἐκήρυξεν verbum, quod Wiesinger recte monet, tum quae per vocabula ἐν ᾧ καί graviter hic recipitur notio ζωοποιηθείς.

Deinde hoc ipsum πορευθείς maxime propter locum quem in enuntiato habet aliter intelligi non licet nisi ita ut φυλακή ista, qua contineri dicuntur πνεύματα, simul scopus fuisse profectionis Christi significetur. Respondet etiam huic πορευθείς alterum v. 22, quod aperte praedicatur de Christo redivivo.[1] Πνεύματα porro cur appellentur ii, ad quos Christus se contulit, non intelligitur nisi cum eo qui est πνεύματι ζωοποιηθείς componantur ita, ut appareat illum agere jam cum iis, qui carne et ipsi non jam utantur, id quod tanquam vitae Christi spiritualis summum et firmissimum documentum ab apostolo adjungitur. Denique verba τὰ ἐν φυλακῇ πνεύματα quominus de statu accipiamus, in quo Noachitae nunc sint postquam praedicationem bis mille annis ante acceptam respuerint, impedit cum horum ipsorum verborum ratio (πνεύματα) tum istud ποτέ, quod sequitur. Recte quidem monet Hofmannus participium ἀπειθήσασιν cum articulo careat non relativi enuntiati vim habere. Quodsi porro participiale istud enuntiatum ita intelligi vult, ut et praedicatum olim Noachitis fuisse dicat apostolus et plerosque non credidisse addat, ne hoc quidem fortasse ita vitio vertendum est uti Wiesinger vult (p. 243) qui negat omnino tale enuntiatum potuisse aoristi participio annecti (Win. Gr. ed. VI p. 315 sq.); nam quod isto participio annectitur rem continet ex mente et aetate scriptoris pariter praeteritam et consummatam ac quae verbo finito (ex Hofmanni maxime sententia) continetur; quamquam quis non ejusmodi orationem et paulo impeditiorem ad intellectum et satis debilem esse sentiat? Sed quod gravissimum impedimentum esse videtur, cum secundum Hofmanni rationem apostolus particula ποτέ prisci temporis, praedicationis scilicet, conditionem graviter notet et ei tempori ad quod τὸ ἐν φυλακῇ εἶναι referendum est opponat, haec enuntiatorum oppositio non aliter poterat emergere, nisi in praecedentibus tale vocabulum positum esset quod oppositorum rationem et praemuniret et luculenter

1. Quibus locis Hofmann et Besser probare student usum quendam verbi πορεύεσθαι translatum, partim perperam intellectis (Act. III, 26 cfr. Meyer ad h. l. Thomasius l. l. p. 240), in iis si quae est usus similitudo explicatur modo ex imagine ibi usurpata 1 Cor. X, 4, modo e contextu Eph. II, 17 (cfr. v. 12: ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ χωρὶς Χριστοῦ — — 13: νυνὶ δὲ — ὑμεῖς οἵ ποτε ὄντες μακρὰν ἐγγὺς ἐγενήθητε — — 14: αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ εἰρήνη — — — — 17: καὶ ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην — —. Arcessitum venit.) Cfr. etiam Wiesinger p. 240.

declararet, e. c. τοῖς νῦν ἐν φυλακῇ πνεύμασι. Quod cum non factu sit, debet aperte temporis particula participio cuidam subjuncto ad haerens non cuivis enuntiati membro particulari sed verbo enuntia finito eique summa vi praedito opposita haberi. Quodsi ita appare praedicationem, cui aliquando obsequium denegavissent, fuisse alia atque eam quam a Christo allatam docet versus undevigesimus, sa restat alia non minor difficultas, qua sententiam laborare acute persp xit Hofmannus,[1] quae tamen ut salva tam grammatica quam dogm tica norma tollatur, id ipsum erit enitendum. Nam aliorum[2] explic tione refutanda, qui φυλακήν de statu animi vel gentilium vel Judae rum praedicatione apostolorum emendando intelligunt, supersedere liceb

Proinde redeamus ad eam quam plerique interpretes tuentur lo explicationem de reali Christi ad inferos descensu, cujus modum finem age jam accuratius secundum apostoli verba explicemus. Primu igitur, quod Christus anima in corporis communionem redacta egis refertur, est κηρύξαι praedicasse id quod magis explanatur adjecto pa ticipio πορευθείς. Quae quidem num ita facta esse dicantur ab apostol ut continuo neque ulla alia re interposita sequeretur descensus vit restitutionem, disertis verbis indicatum non est. Neque possumus i assentiri qui resurrectionem infra commemoratam (21) tanquam alt rum post descensum gloriae recuperatae gradum ab apostolo affer putent. Respicit enim illud δι' ἀναστάσεως ad participium ζωοποιηθεὶ neque alia inest quam vitae recuperatae notio. Videtur sane quaeda singulorum actuum continuitas significari participiis altero alterum e cipientibus. Accedit quod κηρύσσειν absolute poni non apte potuit ni quae modo facta commemorarentur eadem statim nuntiata referrentur

Quid enim praedicasse dicatur h. l. Christus cum acerbissime lit getur, nexum cum antecedentibus arctissimum plerique non satis anir advertisse videntur. Vivum se esse et reducem e mortuis, hoc a nuntiaturus abiit Christus, primum πνεύμασιν ut quibus proxime ju ctus erat ipse jam πνεύματι versatus, deinde hominibus, coelorum d nique angelis. Aperte istud ἐν ᾧ non cum participio πορευθείς so construitur; immo cum ἐκήρυξεν simul jungendum esse ordo verboru clarissime demonstrat. Nam cur non ὅ poneret apostolus, hoc fu causae, quod quo statu habituque utens Christus descendisset et pra

1. l. l. p. 337: „*So hätten wir den seltsamen Fall, dass Ungehorsam gegen ei nicht* b e n a n n t e *frühere Verkündigung als der Grund bezeichnet wäre, warum ihn jetzt gepredigt worden, während von dem Erfolge, den diese jetzige Verkündigu selbst bei ihnen gehabt hat, nichts zu lesen stände.*“

2. Sociniani et Arminiani: Grotius et alii. Lutherus etiam in commentario epp. Petri cfr. supra p. 2.

3. Concedendum est ex Petri loco — neque viderim ex quo scripturae sacr alio — nihil certi concludi licere utrum ante an post resurrectionem hominibus d claratam Christus ad inferos descenderit. Proxime vero a veritate videtur doctoru nostrorum sententia abesse qui illud cum inferis commercium tempori, quod proxir antecederet reditum Christi ad hujus mundi lucem, vindicaverunt, ideoque vivific tionem quam dicunt tempore etiam distinguunt ab illa signis certis patefacta res rectione. Profecto autem hac in re recte intellexerunt Petri mentem, quod glori gradibus adnumerabant descensum, quam sententiam miror Hofmannum Misne sem (*Symbolik, Leipzig 1857* p. 307 not. 7) nuperrime ipsi formulae concordi derogare conatum esse, cum in iis locis in quibus offendit vir doctus (608. 76 aperte non singuli recenseantur gloriae gradus, sed qui sit glorificati status ex l culentissimo documento judicetur.

dicavisset hoc inprimis dicendum erat.[1] Idque fuit quod rectius divinarent quam comprobarent et defenderent doctores nostri veteres cum de praedicatione reali potius quam verbali hoc loco agi contenderent. Et *κηρύσσειν* per se sane nihil aliud significare potest, nisi **verbis nuntium referre**. Sed quae ore praedicasse Christum hoc verbo docemur, ea in ipsius vitae statu et actu, nam etiam istud *πορευθείς* non sine vi additur, praeformata quasi et ante oculos posita fuisse discimus e nexu verborum.[2] Quo autem jure ac modo id quod Christus praedicaverit, a nobis restringatur ad ipsius de morte victoriam infra apparebit clarius quum de notione et usu verbi *κηρύσσειν* accuratius etiam exploratum erit.

Nunc quaeritur qui fuerint illi quibus Christus praedicavit, seu quae dicantur *τὰ ἐν φυλακῇ πνεύματα*. Quodsi ex sola voce *πνεύματα* de eorum natura judicandum esset, nesciverimus quid opponatur illi qui nuper angelos significari ingeniosius conjecit.[3] Usus enim loquendi in No. To. illi aperte magis favet quam iis qui de animis mortuorum sermonem esse putant. Animae defunctorum, si hunc locum excipias, semel tantum appellantur *πνεύματα* Hebr. XII, 23 (*προσεληλύθατε — — πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων*[4]). In apocalypsis libro *ψυχαί* appellantur (VI, 9. XX, 4).[5] Neque inde quod *ἐν φυλακῇ* additum est aliquid certi colligi potest, immo Baur hoc ipsum in suam rem convertit.[6]

Sed et quae sequuntur cogunt, ut de hominibus mortuis sermonem esse statuamus, neque ratio deest unde haec significatio defendatur. Supra jam monitum est *πνεύματα* appellari mortuorum animas quatenus nihil amplius communionis sit iis cum carne et hac vita corporali. Instar omnium illustre illud domini dictum hunc usum collustrat: *πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει* Luc. XXIV, 39 cf. 37. Hanc autem notionem cur maluerit apostolus eminere, nemo non videt. Quamvis enim Christus corpore glorificato indutus apparuerit inter mortuos, carnem tamen deposuit, et quo jam utitur corpore spirituale est (1 Cor. XV, 44) neque, nisi ad apparitionem quandam immutaretur, in se ipso ita comparatum ut manibus tangi posset (Luc. XXIV, 39). *Πνεύματι ζωοποιηθείς* ante omnia cum *πνεύμασι* habet mutuam quandam rationem.[7]

Quodsi nonnulli propter hunc notionum concentum redeunt ad anti-

---

1. Delitzsch *System der bibl. Psychol. 1855.* p. 357: „*So den Todten im Hades sich darstellend predigte er ihnen* (*ἐκήρυξεν*) *die nun geschehene Ueberwindung* —."

2. Wiesinger idem fere ex eorum statu concludit quibus nuntius affertur p. 237: „— *nur dass man sich bei den des Leibes entkleideten Geistern die Fähigkeit der Wahrnehmung des im Geiste gegenwärtigen, leiblich verklärten Herrn und seiner Gegenwart anders zu denken hat; — für sie Sache des Schauens*" — —.

3. Baur *theol. Jahrbb. XV,* 2 p. 193 sqq.

4. Cfr. Delitzsch l. l. p. 346.

5. De angelis tam malis quam bonis usurpatur *πνεῦμα* haud raro. Cfr. Luc. X, 20: *μὴ χαίρετε ὅτι τὰ πνεύματα ὑμῖν ὑποτάσσεται.* IX, 39. Hebr. I, 14: *λειτουργικὰ πνεύματα.* Apoc. I, 4. III, 1. IV, 5. V, 6.

6. Confert potissimum Apoc. XX, 7: *λυθήσεται ὁ σατανᾶς ἐκ τῆς φυλακῆς αὐτοῦ.*

7. Bengel: „Cum viventibus egit in carne, cum spiritibus in spiritu." Ad usum loquendi collustrandum juvabit etiam conferre Stephani verba Act. VII, 39 cfr. Ps. XXXI, 6 LXX et attendere ad usum vocabulorum *πνεύματα* et *ψυχαί* paene promiscuum. Cfr. Dan. III Cant. Asarj. v. 63 *πνεύματα καὶ ψυχαὶ δικαίων.* Sap. Sal. III, 1.

quum illum errorem, animam Christi solam descendisse ad mortuorum animos, aut frustra repugnant alteri notioni *ζωοποιηθῆναι*, quae nusquam de vita conservata usurpatur, aut sententiarum nexum disturbant, ante corporis vitae restitutionem ponentes quae v. 19 leguntur.[1]

Inter mortuos igitur apparuit et praedicavit Christus et inter eos quidem qui in carcere continerentur, *ἐν φυλακῇ*. Loci notionem ab apostoli sententia non omnino alienam esse cognoscitur ex verbo quod adjungit *πορευθείς*. Simul vero ex articuli defectu non immerito concludi posse videtur, loci naturam et rationem eminere in voce *φυλακῇ*, ne quid inferatur quod ab animarum statu sejunctarum a corpore alienum sit. Profecto non claustris vel catenis aëneis coërceantur animae; immo de statu agitur in quo per Dei voluntatem detinentur, etsi sane nec loqui nec cogitare de illo possimus nulla immista loci et spatii notione.[2]

Caeterum ex usu vocabuli *φυλακῇ* parum colligas, nisi quod omnino sumendum est poenae et necessitatis cujusdam notionem neque abhorrere a nostro loco et in voce ipsa inesse posse. Bis tantum in apocalypsi legitur de loco ubi mali angeli detineantur (XX, 7. XVIII, 2). Ex priore vero loco simul discimus carcerem, ex quo diabolus ad tempus liberetur (v. 7), quaerendum esse in „abysso" (v. 3). Hoc bene convenit cum Judae et Petri in altera epistola doctrina, angelos qui a Deo desciverint aeternis vinculis ligatos custodiri.[3]

Ab hoc angelorum qui peccaverint statu quum ad animarum hominum quippe impiorum conclusio valeat per se satis justa et facilis, tum a Petro ipso adducimur ad eam, cum in altera epistola idem fere quod de angelis malis dixerat paullo infra ad peccatores inter homines valere docuerit. *Οἶδε κύριος*, inquit (II, 9) *εὐσεβεῖς ἐκ πειρασμοῦ ῥύεσθαι, ἀδίκους δὲ εἰς ἡμέραν κρίσεως κολαζομένους τηρεῖν.*[4] Inter hos autem impios, qui ita ad futuram judicii diem usque custodiantur, versu quinto antecedente infideles Noachi aequales nominatim commemorantur. Itaque vix quidquam dubitationis relinquitur quid ex Petri mente carcere illo significetur; nimirum locus quidam infernus, ubi impiorum animae, praesertim infidelium Noachi aequalium custodiantur, non liberae quidem poenae cruciatibus, sed plenum et summum supplicium exspectantes ab extremo Christi judicio appropinquante. Quod quam apte respondeat vulgari hujus vocis usui, ex quo non solum poenam ipsam sed saepius etiam locum indicare soleat ubi detineantur malefici in diem statuendae poenae, facile apparet.[5]

---

1. Delitzsch nuper nova quadam via rediit l. l. p. 357 sq. 360: „*Der Herr ging in den Hades πνεύματι, er predigte dort ζωοποιηθεὶς* (?) *πνεύματι, und die ζωοποίησις seines Leibes erfolgte dann mit der Auferstehung* — —." Cfr. quae contra illos affert Wiesinger p. 247 sq.

2. Cfr. Wiesinger p. 238 et 240.

3. Jud. 6: *ἀγγέλους — εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τετήρηκεν.* 2 Petr. II, 4: *ἀγγέλων ἁμαρτησάντων οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας παρέδωκεν εἰς κρίσιν τηρουμένους.* Conferas quae infra ex Henochi libro afferuntur.

4. Qui locus ad comparandum longe appositior est, quam quem conferre jubet Bengel Gal. III, 23.

5. Hanc ob causam Bengelius vertit „in custodia." „In carcere", inquit, „puniuntur sontes, in custodia servantur, dum experiantur quid facturus sit judex."

Sic vero etiam πνεύματα illa ipsa qualia sint accuratius jam definitur. Animis poenam jam in inferno luentibus nec non extremum judicii supplicium exspectantibus apparuit igitur et praedicavit Christus redux e mortuis iisque — sic valet articulus antepositus — omnibus quiqui ibi commorarentur atque in hoc statu constituti essent.[1] Ne tamen, quod licuerit e versu undevigesimo, de omnium omnino impiorum animis supplicium judicii extremi exspectantibus hoc loco cogitemus, impedit versus vigesimus, qui arctioribus etiam finibus circumscribat, inter quos Christus cum nuntio suo apparuerit.

v. 20. *ἀπειθήσασί ποτε, ὅτε ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ θεοῦ μακροθυμία ἐν ἡμέραις Νῶε, κατασκευαζομένης κιβωτοῦ, εἰς ἣν ὀλίγαι τοῦτ᾽ ἔστιν ὀκτὼ ψυχαὶ διεσώθησαν δι᾽ ὕδατος.*

Ἀπειθήσαντα aperte ita adjungitur, ut omnes omnino quibus praedicaverit Christus hac nota insigniantur neque latius pateat altera utra notio animarum et infidelium. Omnibus linguae regulis repugnat, si quis quae jam de animis illis praedicentur de specie quadam ex toto animarum numero nominatim laudanda acceperit.[2] Si voluerat apostolus alias ab aliis distinguere animas, neque articulus neque particula partitionem sive restrictionem significans abesse potuit. Sic vero participium inservit describendae accuratius naturae et conditioni illarum animarum quae in carcere detinerentur. Postquam denegaverunt aliquando obedientiam et fidem Deo clementissime iis indulgenti, jam sunt in carcere, Christum praedicantem audientes.

Notissimum est autem a scriptoribus novi testamenti verbum *ἀπειθεῖν* ita usurpari ut fere idem sit quod *ἀπιστεῖν*. Quae Hutterus (l. l.) monet Lutherum sequens de discrimine notionum *ἄπιστος* et *ἀπειθής*, in universum satis recte disputantur, quamqam in No. To. adjectivum *ἀπειθής* nunquam propriam inobedientiae significationem amisit; sed cum inde vel hoc evincere studeat, de fidelibus hoc loco agi, qui sane „nonnunquam" et hoc quidem tempore de quo agitur ipso (*ποτέ*) „ex infirmitate carnis non crediderint peculiaribus Dei comminationibus" nemo non videt curam dogmati male habitam talia interpretationis monstra progignere, id quod ipse ingenue fatetur (p. 989 sq.). De verborum usu hoc tenendum. Rarius usurpatur *ἀπιστεῖν* neque unquam fere sine certa quadam ratione. Aut eminet fidei quae in constantia cernitur notio (Rom. III, 3 cf. 2. 2 Tim. II, 13), aut usurpatur ita ut nuntio cuidam non credatur propter rei magis insolentiam quam propter animi incredulitatem. Cfr. Marc. XVI, 11. Luc. XXIV, 11, maxime ibidem v. 41: *ἀπιστούντων ἀπὸ τῆς χαρᾶς καὶ θαυμαζόντων*, ubi *ἀπειθεῖν* non habuerit locum; *ἀπειθεῖν* enim solet *πιστεύειν* verbo ita opponi, ut simul incredulitatis fons et natura, conspicua quidem

---

1. Veteres nonnulli cum aliter statuant de notione *φυλακή*, malunt linguam offendere quam dogma periclitari. Cfr. Hutterum qui (Explicat. libri concordiae ed. II. Wittemb. 1609 p. 991) in bonam partem de „tutatione vel conservatione" accipiendam esse contendit, animasque quae ita conserventur esse „fidelium qui in coelesti illo *ποῦ* exspectarunt resurrectionem carnis."!! Simili modo ante eum Calvinus *φυλακήν* explicuit de „specula, in qua aguntur vigiliae" vel de ipso „excubandi actu." Quod etiamsi per se et propter usum verbi ferri posset, obstat *ἀπειθήσασι*, quem dativum aperta et confessa vi syntaxi illata pro genitivis absolutis positum esse statuit.

2. Cfr. infra de Bengelii sententia, de Calvini supra.

in inobedientia, notetur. Ita Joh. III, 36: ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν — ὁ δὲ ἀπειθῶν — cf. Act. XIV, 2 et 1. Ebr. XI, 31. 1 Petr. II, 7. Cf. Rom. II, 8: ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ cfr. XI, 30 sq. Redeundum est ut hujus verbi usum penitus cognoscamus ad LXX interpretes, apud quos haud raro contumaciae et obdurationis vim habet (pro מָרָה, סָרַר). Juvabit maxime Rom. X, 21 (XV, 31) conferre cum Jes. LXV, 2. Alios locos e vetere testamento cumulavit Bleeckius in Ep. ad Hebr. III, 18 (tom. II p. 484) et Weiss (l. l. p. 160). Ἀπιστία et ἀπείθεια nonnunquam promiscue usurpari nemo negabit qui contulerit Hebr. IV, 6. 11 cum III, 19.

Petrus certe amat verbum ἀπειθεῖν[1] nec sine certa ratione; nam obedientiae plurimum tribuit cum in orationibus tum vero in epistola nostra. Cfr. I, 2. 14. 22. Act. V, 32 et Weissium (l. l. p. 160—164) qui fusius hac de re disputat. Hanc vero obedientiam in ipsa fide conspicuam esse e Petri mente apparet e multis locis velut I, 22: ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας. II, 8. III, 1. IV, 17: ἀπειθεῖν τῷ λόγῳ, τῷ εὐαγγελίῳ. Eodem modo hoc loco usurpatur ut inobedientia aequalium Noachi notetur, quae conspicua fuerit in fide praedicationi Noachi de appropinquante diluvio denegata. Quod eo aptius dicitur, quia Noachi vaticinio peccatores illi simul ad vitam melius instituendam admoniti sunt.

Quae sequuntur non solum temporis de quo agatur accuratius definiendi causa adduntur, sed ut harum animarum inobedientia et incredulitas quanta fuerit cuique repugnaverit, clarius cognoscatur.[2] Inest quidem temporis significatio. Particula ποτέ distinguuntur aperte tempora et incredulitatis illius qua peccaverint Noachi aetate, et praedicationis Christi ipsius post resurrectionem. Verumtamen non hanc ob causam particula addita est et magis quam ad antecedentia ad ea quae sequuntur respicit. Suadet verborum collocatio et arctior cum ὅτε particula nexus.

Graviora etiam sunt quae sequuntur quam ut mera temporis significatio in iis contineatur. Augetur scilicet quam maxime culpae magnitudo cum fides et obedientia detrectatur non hominibus qui praedicent, sed Deo ipsi, qui summa cum clementia et patientia per longum tempus offirmatos illos toleraverit viamque qua effugeretur judicium instans commonstraverit adeoque paraverit. Quantam autem clementiam praebuerit Deus hominibus illis significatur eo, quod subjecti locum teneat haec notio, quae quam vim per se habeat cognoscitur maxime ex gradatione illa Rom. II, 4 conspicua. Petro in altera etiam epistola hac ipsa notione significatur spatium effugiendi judicii poenitentibus a Deo relictum, quo frustra praetermisso salutis spes amplius sit nulla.[3] Ad eandem notionem exaggerandam valet verbum ἀπεξεδέχετο. Lectio recepta ἅπαξ ἐξεδέχετο facile explicanda ex librariorum errore justo codicum testimonio caret. Verbum satis usitatum est in No. To. Solet de exspectatione Christi redituri dici, qua ferantur Christiani, in eorum tam perseverantiae quam desiderii laudem.[4] Praeter hunc locum etsi nusquam in No. To.

1. II, 7: ἀπιστοῦσι ex correctura ortum est.

2. Wiesinger p. 243: „*Die Umstände des ἀπειθεῖν und die Allgemeinheit desselben wollen namhaft gemacht sein, um daran die Grösse der Verschuldung dieses Ungehorsams erkennen zu lassen.*"

3. III, 15: τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν μακροθυμίαν σωτηρίαν ἡγεῖσθε cf. v. 9.

4. Rom. VIII, 25: δι' ὑπομονῆς ἀπεκδεχόμεθα cf. Gal. V, 5 et Meyer ad h. l.: „*das beharrliche bis zur Verwirklichung nicht ablassende Abwarten.*" Rom. VIII, 19. 23: ἡ ἀποκαραδοκία — ἀπεκδέχεται· — — στενάζομεν ἀπεκδεχόμενοι.

absolute positum legitur,[1] tamen ne hic quidem quale objectum cogitationi apostoli obversatum fuerit, praecedens ἀπειθήσασι in ambiguo relinquit. Consulto vero omnia sic ordinavit, ut subjecti ipsiusque verbi notio praevaleret. In exspectando conspicua erat clementia divina diutissime indulgens, atque hanc ipsam clementiam defatigavit istorum inobedientia quin amplius ageret clementer.[2] Vulgatae inauditam explicationem „quando exspectabant Dei patientiam" quam Augustinus (Ep. ad Evod. XCIX), Thomas Aquinas (Summa III, quaest. LII, art. II, 30 ed. Cajetan. p. 244), Lutherus etiam (Opp. VI p. 1798) et ante eum plerique secuti sunt, commemorasse sufficiet. Certe non licet ex Lutheri auctoritate judicare interpretationem, quum quae interpreteris aliter prorsus se habeant atque quae illi ante oculos versata sint.[3]

Quae adjunguntur ἐν ἡμέραις Νῶε, erat quidem solennis fere illius aevi appellatio (cf. Mtth. XXIV, 38. Luc. XVII, 26. Jes. LIV, 9); sed hoc loco merito quaesiverimus, nomen quo tempus illud insignitur sitne ipsum quasi quoddam testimonium clementiae divinae de aequalibus optime meritae. Fuit autem Noachus luculentissimum clementiae divinae testimonium non propter arcae solum exstructionem quae fidei ipsius debebatur (Hebr. XI, 7. Sir. XLIV, 17 sq.[4]), sed magis etiam propterea quod ipse clementiae et irae divinae praeco fuerat, κήρυξ ille δικαιοσύνης, quo nomine ab auctore nostro alias laudatur (2 Petr. II, 5). Quod ut clarius etiam appareat subjunguntur genitivi absoluti: κατασκευαζομένης κιβωτοῦ, quibus aptissime absolvitur incredulitatis illius descriptio. In arca exstruenda maxime fides et obedientia Noachi comprobatae sunt, convictae reliquorum infidelitas et inobedientia[5], parata denique omnibus Dei clementia re ipsa ante oculos posita; exstructa demum clementiae simul factus est finis. Quotquot ad Dei misericordiam sese convertissent, salvi erant praestiti.[6] Sed pauci studuerunt in tutum se recipere (εἰς ἣν ὀλίγοι — διεσώθησαν); hinc omne illud genus periit.[7]

---

1. Rom. VIII, 25, quem locum Hutherus in comparationem vocat, objectum adest.

2. Cfr. Mtth. XXIV, 38: — — ἄχρι ἧς ἡμέρας εἰςῆλθε Νῶε εἰς τὴν κιβωτόν. Bengel: „exspectabat donec exspectandi finis erat."

3. Wiesinger p. 252 sq.: *„Eine Ansicht aber, der ein Athanasius (?), ein Luther und Bengel zugethan sein konnten, dürfte doch wohl dem christlichen Bewusstsein nicht entgegen sein."* Athanasii de descensu doctrina e Petri loco omnino non hausta videtur; Bengelii autem nostri loci explicatio quibus nitatur argumentis minime validis, mox videbimus.

4. Νῶε — ἐν καιρῷ ὀργῆς ἐγένετο ἀντάλλαγμα.

5. Hebr. XI, 7: πίστει χρηματισθεὶς Νῶε — εὐλαβηθεὶς κατεσκεύασε κιβωτὸν — δι' ἧς (fide scilicet sic comprobata) κατέκρινε τὸν κόσμον.

6. Mtth. XXIV, 39: — οὐκ ἔγνωσαν ἕως —.

7. Quae sequuntur εἰς ἣν ὀλίγαι τοῦτ' ἔστιν ὀκτὼ ψυχαὶ διεσώθησαν δι' ὕδατος, sic absolvunt sententiam ut intelligatur reliquos periisse omnes. Servati autem illi octo quum in versu proxime sequenti inserviant prototypo cuidam Christianorum per baptismum servandorum, et illa vis qua numerus admodum parvus (ὀλίγαι τοῦτ' ἔστιν ὀκτὼ ψυχαί) eminet explicatur (cfr. infra) et διεσώθησαν verbum generi illi diluvio perditorum ne futurae quidem salutis quidquam relinquere videtur. Salutem deperdidisse istos, videtur apostolus docere, quemadmodum suo jam tempore deperdatur, salutis remedio quod Deus praestet impie contempto. De verbis singulis, maxime de usu praepositionis διά ante ὕδωρ cfr. De Wette-Brückner.

Subsistere jam aliquantum licebit, cum omnia perlustrata sint, quae faciant ad animarum illarum illiusque quae ad eas delata sit praedicationis naturam accuratius describendam.

Primum ex omnibus iis quae de inobedientia illorum praedicantur apparet, πνεύματα haec non angelos sed defunctorum animas esse; nam hanc quam per Noachum maxime offerret Deus clementiam inobedientes aspernati sunt. Animae sunt, uti supra vidimus, quibus cum carne nihil rei amplius esse ipsa notione confirmatur. Altero vocabulo ψυχή, quod apud Graecos solet de animis defunctorum usurpari (cfr. supra p. 25) Petrus statim infra (ὀκτὼ ψυχαί) in enumerandis hominibus viventibus usurpat, uti saepius legitur in No. To. (Act. II, 41. VII, 14. XXVII, 37. II, 43. III, 23. Rom. XIII, 1; cfr. 2 Macc. II, 38. Vorst. de Hebr. IV, 2).

Jam cum de defunctorum animis anquiratur, non minus Bengelius errat, priorem versus vigesimi partem ita separans temporis a significatione (ἐν ἡμέραις Νῶε) ut hanc exempli proferendi causa additam esse putet, istud ποτέ autem „ad omnia Vis. Ti. saecula mortem Christi antegressa“ referat, per quae Dei clementiam ut singuli quique crederent ad mortem eorum usque exspectasse (ἀπεξεδέχετο) facit. Sed οἷον istud, quod ante verba ἐν ἡμέραις Νῶε subaudire jubet, aut addi debebat aut non intelligi, neque quae in hanc rem proferuntur exempla (Marc. XIV, 30. Luc. IV, 25. Dt. XXXI, 10), cum sint alius generis, aliquid probant, nec denique verbum ἀπεξεδέχετο apte poni potuit nulla injecta finis mentione; nam quem mortis finem statuit Bengelius, finxit, cum ad quem respicit apostolus lateat in verbis κατασκευαζομένης κιβωτοῦ.[1]

Longum est neque hujus loci omnia interpretum conamina evitandae illius difficultatis hic enarrare. Sunt enarrata diligentissime et maximam partem subtiliter refutata a Steigero. Caeterum inter recentiores interpretes eatenus fere convenit, ipsos illos Noachi aequales qui propter fidei inobedientiam diluvio perierint eos esse, et quantum ex hoc quidem loco cognoscitur solos esse, ad quos pertinuerit haec Christi inter eos apparentis praedicatio.[2] Qualis haec fuerit praedicatio solvenda restat quaestio ultima et summa, quae quanti momenti sit, ex magno interpretum dissensu cognoscitur. Nemo vero negaverit, arctius hanc quaestionem cum tota doctrina dogmatica cohaerere, quam ut soluta unquam videri possit, si quae ex hoc loco obscuriore derivanda videantur iis, quae clarissimi loci doceant, inveniantur repugnantia. Dummodo caveamus, ne in majorem orthodoxiae gloriam scripturae sacrae vim inferamus.

Discedunt autem in hac quaestione interpretes in duas maxime par-

---

1. Non quo statuamus totum conversionis spatium quod reliquerat istis clementia divina circumscriptum fuisse temporis termino per quod arca exstrueretur, sed finis certe exspectandi his verbis significatur.

2. De Wette postquam omnia refutavit, quae probare viderentur, exempli certe instar istos Noachitas commemorari, rediit ad hoc: „*Aber diese Gründe möchten kaum genügen. Vielmehr scheint der Verfasser wirklich die (Heils-) Predigt Christi auf die Ungehorsamen zu Noahs Zeit zu beschränken.*“ Huther: „*der Gedanke des Apostels ist der, dass Christus — — in den Hades gegangen und dort den Seelen der in der Sintfluth umgekommenen ein κήρυξ (des Heils) geworden sei. Hiebei muss der Exeget stehen bleiben — —.*“

tes, alteri de evangelii praedicatione, alteri de legali quae dicitur vel judiciali cogitantes. Cujus litis certos ante omnia constituamus fines, ne insequens locus IV, 6. ad quem provocare solent priores illi interpretando ei de quo nunc agitur immisceatur, a quo eum alienum esse infra demonstrabitur. Priorem igitur locum per se consideremus in verba argumentum nexum denique inquirentes.

Qui statuunt de evangelio apud inferos praedicato sermonem esse, verbo *κηρύσσειν* utuntur tanquam firmissimo sententiae suae praesidio. Propriam ajunt hujus verbi per novum testamentum vim hanc esse: praedicare evangelium.[1] Quae ab altera parte opponuntur, parum considerate solent disputari.[2]

Operae pretium est, verbi *κηρύσσειν* et communem usum considerare et in singularem ejus in No. To. potestatem ita inquirere, ut quae ratio inter utrumque intercedat appareat, neu quidquid a vera ejus notione alienum est, damno sanae interpretationis admisceatur. Et habet quidem hoc verbum duplicem vim ex nominis, unde derivatum est, notione ultro emanantem; est enim aut agere quae sunt *κήρυκος*, praeconis, aut ad modum praeconis, hinc alta voce publice pronuntiare.[3] Hanc sententiam Ni. quoque Ti. scriptores aliquando voci subjicere videntur.[4] Sed longe crebrior est significatio rei per praeconem fieri solitae, nuntiandi, proclamandi, qui quidem usus ita obtinet per omnium generum et aetatum scriptores graecos, ut vel in iis locis, ubi nostrati sermone relaxata interpretatione vertere possis vulgare vel eloqui, tamen ex mente scriptoris adhaereat voci solennitatis, auctoritatis, gravitatis notio.[5] Nunquam e. c. invenitur

---

1. De Wette: *κηρύσσειν kann nach dem neutestamentl. Sprachgebrauche (Matth. IV, 17) nur gleichbedeutend mit εὐαγγελίζειν genommen werden* —. Brückner: *Gerade da, wo das Wort wie hier absolut von Christo gebraucht ist (Mrc. I, 38), ist es εὐαγγελίζειν*. Huther: „*Heilsbotschaft*“. cfr. Steiger p. 357. Gueder l. l. Wiesinger p. 241 al.

2. Cfr. Pistorius l. l. p. 14 sq.: „*Das Wort κηρύσσειν heisst bloss verkündigen, öffentlich kund machen.*“ Flacius (Clavis s. v. infernus) sincerius confitetur: „ego sane opinor, verbum praedicandi *ἐκήρυξεν* ibi (loco nostro) non propriissime accipi.“ Melius Engelhardt l. l.

3. Huc referendi videntur poetarum loci, in quibus invocandi, implorandi vim habet verbum nostrum. Ita Aeschyl. Choëphor. 4 cfr. Aristoph. Ran. 2: „*τύμβου δ' ἐπ' ὄχθῳ τῷδε κηρύσσω πατρὶ κλύειν, ἀκοῦσαι.*“ Eurip. Hecub. 148: „*θεοὺς κήρυσσε.*“

4. Mtth. X, 24. Luc. XII, 3: *ὃ πρὸς τὸ οὖς ἐλαλήσατε ἐν τοῖς ταμιείοις, κηρυχθήσεται ἐπὶ τῶν δωμάτων*, ubi clarius etiam quam apud Matthaeum opponuntur: *πρὸς τὸ οὖς λαλῆσαι* et *κηρυχθῆναι*. Cfr. Apoc. V, 2: *ἄγγελον — κηρύσσοντα ἐν φωνῇ μεγάλῃ*.

5. Apud Herodianum (I, 7, 1) qui laudatur auctor relaxatae significationis „divulgandi“ (Thes. Steph. s. v.) antecedit quidem famae notio, sed in loco ipso manet vocabulo sua significatio: *ἐπειδὴ δὲ διεφοίτησεν ἡ φήμη ἄγγελοί τε ἧκον κηρύττοντες τὴν τοῦ βασιλέως ἄφιξιν*. Ne apud poetas quidem quorum ut in grandiore oratione liberior usus est, invenias locos in quibus *κηρύσσειν* positum sit nulla propriae verbi potestatis habita ratione. Ita Soph. El. 606: *κήρυσσέ μ' εἰς ἅπαντας*, ubi loquitur regina. Apud Euripidem Tro. 223: „*ἀκούω κηρύσσεσθαι στεφάνοις ἀρετᾶς*, et Andr. 773: *κηρυσσομένων* (Dind. *κηρυσσομένοισι*) *δ' ἀπ' ἐσθλῶν δωμάτων τιμὰ καὶ κλέος* (ed. Herm. 757) enervaretur vis locutionis si de iis acciperetur quos rumor extulit; imago potius sumta est ab iis qui in publicis ludis praeconis voce victores proclamabantur (Cfr. Xen. Cyr. VIII, 4, 4). Ita

de tradenda doctrina. Quae in novo testamento obviam est hujus verbi ratio, nullo modo videtur apud Graecos praeformata esse. Eadem vero, quae apud Graecos omnino locum habet verbi ratio, valet in LXX interpretibus; id quod summi est in nostra causa momenti. Vix enim vestigia quaedam singularis Ni. Ti. usus apud illos adsunt. Legitur fere de publicis pronuntiationibus, sive regum decreta populo communicantur (Gen. XLI, 43. Dan. V, 29. Cfr. III, 4. Esth. VI, 9. Exod. XXXVI, 5 [Mosis]; Hos. V, 8 [Dei]); sive convocantur comitia, indicantur jejunia solennia (Joel II, 1; IV, 9. 2 Chron. XXIV, 9. Exod. XXXII, 5; 2 Reg. X, 20. Jon. III, 5. 7. Zeph. III, 14 atque saepius). Ubi vero praedicandi notio qualis in No. To. subjici solet verbo *κηρύσσειν* graece reddenda erat, composita verbi *ἀγγέλλειν* maxime sumuntur: *ἐξαγγέλλειν*, *ἀναγγέλλειν*, *ἀπαγγέλλειν*, *διαγέλλειν*. Sic *ἀναγγείλατε σωτηρίαν* 1 Chron. XVI, 23. Psalm. LXXI, 15, *τὴν εἰρήνην* Nah. I, 15, *τὰ θαυμάσια θεοῦ* Psalm. LXXI, 17. 18, similiter Ps. IX, 12; *τὴν δικαιοσύνην* Ps. XXII, 32, *τὸ ὄνομα κυρίου* Exod. IX, 16, *τὴν αἴνεσιν τοῦ κυρίου* Ps. LI, 17. Jes. XII, 4. Ubi de prophetae docendi munere absolute ponitur verbum habent *λαλεῖν* (דִּבֵּר Jerem. I, 6. XX, 9) vel etiam *βοᾶν* (קָרָא) ubi est praedicare alta voce et publica auctoritate (Jes. XL, 3. 6. LVIII, 1).[1]

Quodsi cum tanto locorum numero illos comparaveris, ubi *κηρύσσειν* verbum eadem qua in No. To. solet vi usurpatum videatur, et perpauci sunt et partim ad universalem usum revocandi. Sic quod nonnunquam in No. To. repetitur dictum Jesajae: *ἀπέσταλκέ με κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, καλέσαι ἐνιαυτὸν κυρίου δεκτὸν* (LXI, 1. 2.) accommodatum videtur proprio hujus verbi usui. De captivorum manumissione maxime sermo est, quae quum regale quiddam sit annuntiari quasi per praeconem aptissime dicitur. Alias sane de eadem fere re legitur *καλεῖν* Jerem. XLI (ex recensione LXX; hebr. XXXIV), 8. 15. 17. Eodem modo videtur Michae locus comparatus esse, ubi prophetas vaniloquos *κηρύσσοντας εἰρήνην* increpat (III, 5); pacem enim pronuntiare est praeconis. Alia est Nahumi loci ratio I, 15 (II, 1) ubi *ἀπαγγέλλειν εἰρήνην* idem fere est quod salutem annuntiare. Insolens vero in LXX interpretum scriptis videtur usus, quem habes in tribus Jonae locis omni sane ex parte ad Ni. Ti. modum comparatis I, 2: *ἀνάστηθι καὶ πορεύθητι — καὶ κήρυξον*. III, 2: *κήρυξον τὸ κήρυγμα*. v. 4: *καὶ ἐκήρυξε*. Praeter hos Jonae locos nusquam apud LXX, quantum scimus, de certa quadam praedicatione sancta cum quadam vi technica legitur.

At vero libros Ni. Ti. ubi evolverimus hac ipsa vi et ratione hoc verbum sexcenties usurpatum videmus et quasi terminum technicum quem vocant factum doctrinae Christi et a Christo praedicatae. Facile apparet hoc fieri non potuisse nisi ea esset doctrinae Christianae na-

---

in iis locis, in quibus imperandi fere notionem habet Aeschyl. Choëphor. 1026. Pind. Pyth. IV, 356 (ubi *Μόψος ὁ τερασκόπος*, Deorum praeco loquitur). Soph. Antig. 450 explicandum videtur e versu 447 proxime antecedente, ubi de decreto per praeconem annuntiato sermo est. Ad hoc alludit Antigone.

1. Quamquam apud LXX non desunt loci, in quibus alta praedicandi vox ipso verbo *κηρύσσειν* significetur. E. c. Prov. VIII, 1: *σὺ τὴν σοφίαν κηρύξεις*, conferenda cum iis quae sequuntur, et I, 21. Cfr. Sir. XX, 14: *ἀνοίξει τὸ στόμα αὐτοῦ ὡς κήρυξ*.

tura, cui propria hujus verbi vis apte accommodaretur.[1] Flacius, quem solum fere hac in causa elaborasse video, satis recte „Ni. Ti. scriptores“ inquit „sumta dictione a praeconibus qui sunt regum et gubernatorum ministri, ac intensa voce populo voluntatem aut decretum magistratuum denuntiant — ob quandam similitudinem personarum, rerum aut functionis ministerium et propagationem evangelii expresserunt, ut indicarent evangelium clare, publice et libere cum quadam dignitate et auctoritate omnibus tradendum et inculcandum esse, sicut olim praecones solebant adstante aut sequente rege“ (Clavis s. v. praedicare). Quibus recte declaratur locutionis origo. Enimvero non sufficit, usum verbi in docendi propagandique evangelii notione contineri. Est sane evangelii natura ita comparata, ut eam docendi verba διδάσκειν, παραδιδόναι et quae similia apud philosophos locum habent parum apte circumscribant; nam rerum gestarum nuntius potius est quam scientiae alicujus disciplina. Sed haec ipsa est notio verborum ἀναγγέλλειν, καταγγέλλειν, διαγγέλλειν, quorum usum Alexandrini in hunc finem quasi praeformaverunt. Quid quod peculiare verbum LXX interpretibus satis usitatum (Jes. LII, 7. Ps. XCVI, 2 al.) praesto erat, ab ipso illo nomine derivatum εὐαγγελίζειν s. εὐαγγελίζεσθαι. Ex sola evangelii notione res non explicatur. Aliam in auxilium vocemus necesse est notionem No. To. non minus propriam, in qua quasi fundamentum omneque evangelii argumentum cernatur, scilicet βασιλείαν τῶν οὐρανῶν sive τοῦ θεοῦ. Haec est quam Flacius dicit „similitudo personarum, rerum aut functionis.“ Nuntius ille novus, quem Christus Christique apostoli hominibus detulerunt, est τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας. Cui notioni quam apte respondeat κηρύσσειν verbum non est quod exponamus. Singulos locos librosque jam adeamus.

Primum animadvertas, quaeso, apud Johannem, apud quem regni divini mentio omnino rarior est, praedicandi regni ne ulla quidem, κηρύσσειν nullo loco legi. LXX interpretum usum sequens ἀναγγέλλειν vel etiam ἀπαγγέλλειν (1 Joh. I, 2. 3: τὴν ζωήν), potissimum vero μαρτυρεῖν in ejus modi locis ponere maluit.[2] Contra Matthaeus auctor ille et quasi fautor summus doctrinae de regno divino non solum verbo μαρτυρεῖν rarissime utitur, sed composita illa verbi ἀγγέλλειν aut omnino non habet, aut ἀπαγγέλλειν de nuntiis quibuslibet, sed nunquam sensu illo graviori de regno divino annuntiando usurpat. Idem fere valet de Marco.

In Lucae scriptis, quum regni divini notionem cum aliis quas facile substituere licuit mutuo usurpari videamus, magis quam apud reliquos evangelistas fluctuat usus. Frequentat verbum εὐαγγελίζεσθαι, quod apud Matthaeum semel, apud Marcum nunquam legitur. Ita εὐαγ-

---

1. Etenim non ita animo informanda res est, quasi quae ante usu frequentiore laxiorem ambitum nacta sit notio, postea in singularem quendam usum conversa sit, qui per se alienus videatur a propria verbi potestate. Sed verbum quod solemnem semper et ubique habuit usum, videmus novae prorsus rei applicari cum vi non minus solemni et fere technica.

2. Cfr. IV, 25: ὅταν ἔλθῃ Χριστός, ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα. XVI, 14. 13. 25. μαρτυρεῖν Joh. III, 11 (ὃ ἑωράκαμεν) cfr. 32. XIX, 35. 1 Ep. I, 2. IV, 14. ἐμαρτύρησεν Ἰωάννης λέγων Ev. I, 32 cfr. XIII, 21 simil.

γελίζεται ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ Ev. XVI, 16. IV, 43. VIII, 1 (κηρύσσων καὶ εὐαγγελιζόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ) cfr. Act. VIII, 12: εὐαγγελιζόμενος τὰ περὶ τῆς βασιλείας, ubi notabilis est circumlocutio τὰ περὶ τῆς βασιλείας, siquidem Lucas non tam de re ipsa quam de doctrina regni agit, id quod abhorret a Matthaei usu. Hinc potuit verba notioni adjungere paene inania, veluti ἐλάλει αὐτοῖς περὶ τῆς βασιλείας IX, 11; λέγειν X, 9. Act. I, 3; διαλεγόμενος καὶ πείθων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ XIX, 8 cfr. XXVIII, 23, quibus multo aptius ponebatur διαγγέλλειν τὴν βασιλείαν Ev. IX, 60. In Actis apostolorum καταγγέλλειν in simili notionum conjunctione frequens est.[1] Nec tamen in Lucae scriptis desunt ejus modi loci, e quibus originalis et singularis verbi in No. To. usus clarissime cognoscatur. Conferas quaeso imprimis Act. XX ejusque versum 25: διῆλθον κηρύσσων τὴν βασιλείαν cum 20 et 27 (ἀναγγεῖλαι ὑμῖν καὶ διδάξαι et ἀναγγεῖλαι ὑμῖν πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ), deinde XXVIII, 31: κηρύσσων τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ καὶ διδάσκων τὰ περὶ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. Nunquam apud Lucam legitur κηρύσσειν τὰ περὶ τῆς βασιλείας cfr. supra. Ev. IX, 2: ἀπέστειλεν αὐτοὺς κηρύσσειν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ cfr. IV, 44 et v. 43. Hunc vero usum nisi fallimur Matthaeo acceptum refert. Nemo enim inter Ni. Ti. scriptores constantius et accuratius hac in re versatur quam Matthaeus. Notum satis est quoties apud eum regni divini mentio fiat; sed nunquam de annuntiando vel praedicando regni istius adventu agit, quin hoc verbum usurpaverit. (III, 1. 2 cfr. IV, 17. 23. IX, 35. X, 7. XXIV, 14 cfr. Marc. I, 14. 15.) Neque hoc est negligendum quod, ubi verba praedicationis ipsa sequuntur, substituitur fere verbum λέγειν, quod quamquam ubique fit in libris historicis Ni. Ti., tamen hoc modo efficitur, ut altera notio quid per se valeat magis emineat. Certe apparet inde clarissime quid inter Lucae et Matthaei usum discriminis intercedat, cum ille, uti vidimus, nonnunquam mero verbo λέγειν in hac annuntiatione utatur. Deinde cum Matthaeus soleat quod praedicatur εὐαγγέλιον βασιλείας appellare, luculentius etiam distinguitur, cui maxime notioni adstruatur verbum κηρύσσειν. Regnum praedicatur quippe quae sit laeta et beata praedicatio. Accuratius porro hanc praedicationem distingui videmus ab institutione scholastica, quae tamen non minus doctrinae Christianae propagandae inserviebat, sed diversa fuit ratio tradendi. Regni adventus annuntiatur, quasi per praeconem Dei; nil ultra desideratur. Hinc illa in Christi munere describendo solemnis quodammodo formula περιῆγεν ὁ Ἰησοῦς — διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς καὶ κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας IV, 23. IX, 35 cfr. XI, 1, ubi, quo magis praedicationis genus Ni. Ti. proprium emineat, verbis Alexandrinorum καλέσαι ἐνιαυτὸν κυρίου substituitur quod modo antecessit κηρύξαι. Quibuscum denuo compares, quaeso, qui concludunt caput versus 43 et 44. Illius, quod propheta vaticinatus est futurum, instantis jam temporis gratiosi quasi praeco fuit Christus. Solet autem in omnibus illis locis κηρύσσειν ita subjungi, ut generali notioni substituatur singularis et novi testamenti propria.

---

1. Τὴν ἀνάστασιν Act. IV, 2. τὸν λόγον XIII, 5. XVII, 13. ἄφεσιν ἁμαρτιῶν XIII, 38. ὁδὸν σωτηρίας XVI, 17. Χριστόν XVII, 3 cfr. 23. φῶς XXVI, 23. Cfr. 1 Cor. II, 1. IX, 14. XI, 26. Phil. I, 17. 18. Col. I, 28.

Jam potuit brevius dici ὅπου ἐὰν κηρυχθῇ τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο Mtth. XXVI, 13 cfr. Mtth. XXIV, 14. Mrc. XIV, 9, vel etiam sine τοῦτο Mrc. XIII, 10 cfr. Mrc. XVI, 15, vel nudum denique verbum κηρύσσειν, quo Marcus potissimum uti solet. Mtth. XI, 1. Mrc. I, 38. 39. 45. III, 14. VI, 12. XVI, 20. Solemne verbum est factum eamque significat praedicationem, quae est novi foederis et regni per Christum praeconem simul et regem inaugurati propria.

Christo jam in coelos reduce defertur praeconium ad apostolos. Paulus Jesu Christi κήρυκα καὶ ἀπόστολον agnosci sese vult (1 Tim. II, 7. 2 Tim. I, 11) atque eundem in modum utitur verbo simplici vel κηρύγματος nomine ubi de ipsius et reliquorum munere apostolico agit. (1 Cor. IX, 27. XV, 11. Rom. X, 14 sq. κήρυγμα Tit. I, 3. 2 Tim. IV, 17. κήρυγμά μου. 1 Cor. II, 4. XV, 14 cfr. de Christo Rom. XVI, 25.) Omnino facile intelligitur, quo jure apostoli abstinentes in epistolis a regni praedicandi mentione satis fecisse sibi visi sint, si Christi vel etiam verbi divini et evangelii nomen regni notioni substituerent. Ita Lucas jam in Actis de Philippo evangelista: ἐκήρυσσε τὸν Χριστόν, VIII, 5 cfr. IX, 20. XIX, 13. 1 Cor. I, 23. XV, 12. 2 Cor. I, 19. IV, 5. XI, 4. Phil. I, 15. εὐαγγέλιον Gal. II, 2. Col. I, 23. I Thess. II, 9. τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως Rom. X, 8. λόγον 2 Tim. IV, 2.

Hinc explicantur nonnulli loci ubi adjunguntur quae satis aliena sunt, abjecta prorsus uti videtur solemni illa verbi vi. Ita ubi Johannes poenitentiae baptisma praedicasse dicitur κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας (Mrc. I, 4. Luc. III, 3. Act. X, 37), aperte inaugurationis regni prima initia appellantur. Cfr. Mtth. III, 1. Porro ubi Paulus se circumcisionem praedicare negat (Gal. V, 11), Jacobus Mosen ubique praedicari affirmat (Act. XV, 21), contraria consulto ponuntur juxta. Etiam quum quos sanaverat Christus divulgare beneficium significantur hoc verbo, nemo aliquam cum solemni illius usu necessitatem negaverit (Mrc. V, 20. VII, 36. Luc. VIII, 39). Idem valet de locis supra explicatis Mtth. X, 27. Luc. XII, 3. Tamen negari nequit uti hoc vocabulum invaluerit apud scriptores sacros, ita usu frequentiore sensim quasi attritum esse; cui rei loci modo e Marco allati, instar omnium autem Rom. II, 21 documento est (ὁ κηρύσσων μὴ κλέπτειν, cfr. ὁ διδάσκων — ὁ λέγων).

Perlustrato sic toto hujus notionis ambitu hanc denique constituere licet computationis summam: κήρυγμα Ni. Ti. proprie et principaliter regni pronuntiationem esse, nobis *Reichspredigt*, *Reichsverkündigung;*[1] hujus autem regni conditionem, certe dum Christus et apostoli hoc in mundo adventum ejus annuntiant, eam fuisse ut gratiae aeque ac Christi regnum illiusque praedicationem proprio quasi nomine evangelium appellari liceret. Facile tamen apparet non nihil discriminis intercedere inter hanc et illorum sententiam, qui praedicandi evangelii notionem per se et principaliter illi verbo in No. To. inesse statuant. Evangelium enim non potest praedicari nisi ita ut gratia veniaque divina offeratur, quicunque audiant vocem praedicantis. Regni cujusdam inaugurandi vel instaurandi promulgatio laeta quidem regis

1. Nec videtur alienum, si ex simili ratione LXX interpretum usum in Jonae libro explicamus (cfr. supra p. 32). Jonas primus quasi praeco divinitus legatus inter gentiles exstitit, novum nuntium eumque ex regno divino inter Israelitas constituto afferens. Inter idololatras veri Dei quippe Israelitarum regis summi quasi praeco erumpit.

amicis, infesta vero hostibus, civibus inobedientibus terribilis sonat. Tempus certum habet praedicatio regni constituendi et constituti, augendi civium numero, triumphantis denique de hostium invidia. Jam reditum Christi de coelo esse extremum victoriae absolvendae in mundo terminum, resurrectionem autem et ad coelos ascensionem initium promulgandae complendaeque uno ore docent evangelistae et apostoli. Exstat locus ex quo luculentissime apparet, quomodo tempore mutato immutata sit praedicationis illius ratio. Petri verba sunt in Actis app. relata X, 40 sq. Juvabit ea summatim recensere. *Ὁ θεὸς Ἰησοῦν ἤγειρε — καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι — καὶ (Ἰησοῦς) παρήγγειλεν (μετὰ τὸ ἀναστῆναι) ἡμῖν (τοῖς μάρτυσι) κηρύξαι τῷ λαῷ καὶ διαμαρτύρασθαι, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν.* cfr. II, 34—36 (XVII, 31). Haec jam fuit summa praedicandorum, Judaeis quidem maxime quippe Christi interfectoribus.

Nostro autem loco agitur de Christo ipso postquam resurrexerit praedicante. Quid vero praedicaverit cum diserte non doceatur, caute et circumspecte agamus eo magis necesse est. Videtur quidem summo cum jure postulari posse, ut ablegemus ad omnes illos locos in quibus apud Marcum maxime simplex verbum de evangelii praedicatione ponatur. Sed patet aliam esse evangelistarum rationem, ubi, quid velit in singulis locis nudum *κηρύσσειν*, facile ex tota temporis et regni diserte annuntiati conditione cognoscatur. In epistolis omnino rarius praeter hunc de quo agitur locum usurpatur, absolute autem ita tantum ponitur (Rom. X, 14. 15. 1 Cor. IX, 27), ut praedicandi munus et actus magis quam quid praedicatum sit significetur. A Petro vero singulari modo Christo ipsi videmus praedicationem adscribi eamque inter inferos habitam, argumenti vero finisque illius descriptionem, uti videtur, prorsus desiderari. Ante omnia de Petri ipsius hac in re usu erat inquirendum. Amat enim Petrus ubicunque de evangelio praedicando in epistola nostra agitur verbo *εὐαγγελίζεσθαι* uti vel compositis illis verbi *ἀγγέλλειν*. Maxime attendas quaeso ad ea quae 1 Ep. I, 12. 25 leguntur,[1] in quo posteriore certe loco ex reliquo Ni. Ti. usu verbum *κηρύσσειν* exspectatur. Aliis locis elegantiore delectu distinguit inter verba: populum electum jubet *ἐξαγγεῖλαι τὰς ἀρετὰς τοῦ ἐκ σκότους καλέσαντος* — —; ubi de munere *τῶν τοῦ θεοῦ λογίων* agitur, verbo *λαλεῖν* utitur; ubi significandum erat, quo proprie spectaret gratiae divinae praedicatio, legimus *εἰς τοῦτο εὐηγγελίσθη, ἵνα* — —; nostro vero loco, cujus omnino intellectus ne dicam vis et nervus inde pendet, abstinet a verbo significantiore. Si quid valent omnino quas auctores singulos sequi videmus dicendi leges et consuetudines, hoc certum est *κηρύσσειν* nostro loco a Petro non positum esse quia evangelii praedicatio hoc verbo quasi proprio significaretur.[2] Immo quam vim habeat hoc loco peculiarem, aut e nexu qui ipso verbo particulis *ἐν ᾧ καί* antecedentibus adjuncto contexitur aut ex usu quem habet in No. To. a verbo *εὐαγγελίζεσθαι* differentem judicemus necesse est. Nunc clarius appa-

1. Vs. 25: *τοῦτο δέ ἐστι τὸ ῥῆμα τὸ εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς.* Vs. 12: *ἃ νῦν ἀνηγγέλη ὑμῖν διὰ τῶν εὐαγγελισαμένων ὑμᾶς* scribit plane Alexandrinorum ad modum.

2. Cfr. supra De Wette, Huther, Brueckner, Wiesinger.

rebit quo jure supra statuerimus in antecedentibus contineri quid Christus praedicaverit. Nisi dixerimus, istis ἐν ᾧ καί inferri quod casu quodam et obiter commemoretur re alienum ab antecedentibus, debet verbum ἐκήρυξεν confirmare id quod apostolus verbis ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι affirmavit. Significatur etiam ipso isto relativo, ζωοποίησιν illam spiritualem quasi fundamentum fuisse concionis idemque argumentum.[1]

Jam sane aptissimum quod poterat delegit verbum. Victoriae annuntiandae proprium est. Regni coelestis notio cum nulla arctius cohaeret quam cum statu gloriae Christi. Δόξα eadem est scriptoribus Ni. Ti. quae βασιλεία, cfr. 1 Thess. II, 12: περιπατῆσαι — ἀξίως τοῦ θεοῦ τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς εἰς τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν καὶ δόξαν (cfr. 2 Thess. I, 5—7). Mtth. XVI, 28 — — ἕως ἂν ἴδωσιν τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ. Mrc. IX, 1: ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει (cfr. Mtth. XX, 20. 21 sq. Luc. XXII, 29 et parabolam illam Luc. XIX, 11 sq.) 2 Tim. IV, 1: Χριστοῦ τοῦ μέλλοντος κρίνειν ζῶντας καὶ νεκροὺς κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ καὶ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ (cfr. IV, 18). Maxime autem huc pertinent ii loci, in quibus regni gloria opponitur Christianorum hac in vita calamitatibus. Ita notissimum illud Act. XIV, 22: διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰςελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, et quod iisdem paene cum Petri ex hac epistola verbis in Apocalypsi scriptum legimus: συγκοινωνὸς ἐν τῇ θλίψει καὶ βασιλείᾳ (I, 9). Haec sunt quae ter quaterve recoluit in nostra epistola τὰ τοῦ Χριστοῦ παθήματα καὶ αἱ μετὰ ταῦτα δόξαι, id quod nostro loco participiis inter se oppositis redditum videmus θανατωθεὶς μέν, ζωοποιηθεὶς δέ. Illustre hoc totius epistolae κήρυγμα a Christo ipso praedicatum esse, Petrus verbo ἐκήρυξε expressit quam potuit significantissime.

Haec sane prorsus alia est praedicatio quam quae mera evangelii accipi solet. Nam haec damnatoria et terribilis aeque esse potest ac salutaris et laetifica. Quaeritur jam ante omnia ad quos fuerit delata. Atque quanti momenti sit eorum naturam bene perspectam habere, ipse Petrus docet tot verbis eam statim describens. Ipse sic commonet pendentis inde judicii. Istud ἀπειθήσασί ποτε si solum sequeretur, facile sperare possemus animas illas pristinae praedicationi fide denegata iteratae jam per Christum ipsum credituras fuisse,[2] quamvis ποτέ per se talem temporum comparationem non contineat sed hoc unum indicet olim antiquo quodam tempore illos homines obedientiam denegasse. Atqui quae statim particula ὅτε inducuntur ita recipiunt illam temporis significationem (ποτέ), ut simul aevi illius rationem accuratius describant, idque eum in modum ex quo nihil nisi quanta fuerit istius inobedientiae culpa appareat. Quasi scripserit Petrus: praedicavit Christus animis in carcere retentis quae olim eo inobedientiae progressae erant, ut ipsa Dei clementia in iis salvandis defatigaretur. His vero, id quod bene notandum, praedicasset Christus non tam clementiam veniamque denuo paratam, quam vitam gloriamque post mortem recupe-

1. Ad notionem illam realis magis quam verbalis praedicationis, quam veteres nostri doctores statuerunt (cfr. supra), juvabit conferre locum ex Nili sententiis: λόγῳ μὲν τὴν ἀρετὴν δίδασκε, ἔργῳ δὲ αὐτὴν κήρυττε. Opp. sent. Graec. ed. Orelli I p. 322, 11.

2. Ita Weiss l. l. p. 176.

ratam. Quot verba tot miracula! Regni gloriae ab ipso Christo modo acquisitae continuo consortes adjunguntur qui tanquam summum incredulitatis exemplum proponuntur. Quin etiam ipsa incredulitas pro causa affertur cur consortium gloriae per Christi praedicationem iis oblatum sit. Nempe contrariam sententiam idem Petrus in altera epistola protulit de istis aequalibus Noachi; *ἀρχαίου*, inquit, *κόσμου οὐκ ἐφείσατο ἀλλ' ὄγδοον Νῶε δικαιοσύνης κήρυκα ἐφύλαξε, κατακλυσμὸν κόσμῳ ἀσεβῶν ἐπάξας*, comparans horum crimen et judicium cum angelorum malorum (II, 4) totamque argumentationem ita concludens: *οἶδε κύριος εὐσεβεῖς ἐκ πειρασμοῦ ῥύεσθαι, ἀδίκους δὲ εἰς ἡμέραν κρίσεως κολαζομένους τηρεῖν*. Quos in altera epistola devinctos dicit apostolus ita ut tenerentur usque ad judicium extremum, ad eosdem Christum e carcere liberaturum abiisse ut primum e morte rediisset ipse, in epistola priore docuisse putatur idem apostolus. Miram profecto dicamusne oblivionem apostolicam an retractationem![1] Certe parum consuluerunt causae suae qui de evangelio Noachitis praedicato verba explicant vindicata tamen eidem auctori utraque epistola, id quod optime de ecclesia Christi meriti fecerunt.[2] De posterioris epistolae sententia nulla potest esse lis. *Ἀπώλετο*, periit, inquit, *κόσμος ἀσεβῶν* eundem ad modum, quemadmodum impiis in extremo judicio exspectanda est *ἀπώλεια* (III, 6. 7).[3] Eandem vero scimus a Christo ipso primum propositam esse similitudinem inter Noachitici et extremi aevi pravitatem justo judicio obnoxiam (Mtth. XXIV, 37 — 39). Jam nostro loco quid potuit perversius fieri, quam si Petrus, qui paulo infra Christianorum adversariis protervitatem Noachitarum omni modo imitantibus (IV, 3) judicium extremum minatur (IV, 5), illud quod hujus quasi exemplar antecesserat judicium de antiquo mundo paulo ante doceret per eundem in gloriae consortium mutatum esse, qui nunc judex futurus esset adversariis.

Qui de evangelio apud inferos praedicato verba accipiunt, statuunt ipsi quoque diluvii mentionem fieri propter illius cum extremo judicio similitudinem.[4] Sed vis sententiae et nervus non in diluvii mentione conspicua sunt, sed in Christi cum illis qui diluvio perierunt commercio.[5] Quod si judicii similitudinem habet nullam, evanescit ista altera quam hoc loco invenisse sibi visi sunt similitudo. Docemur quidem a De Wettio haec de Christi apud inferos praedicatione interponi propterea, quod simul insit quo differant similia illa duo judicia, ut sententiarum series haec sit: *„In der Fluth büssten diejenigen, welche fleischlich gelebt hatten, ihre Schuld mit ihrem Fleische, während nur Wenige als der Same der geläuterten Menschheit übrig blieben; in der letzten Zeit hingegen vor dem jüngsten Gerichte büsste*

---

1. Wiesinger probavit certe nullo modo (p. 244), quae (p. 250) asseverare audet: *„Ich meines Theils erkenne nicht, dass bei dieser Fassung* (de evangelii praedicatione) *die Wahrheit des Wortes οἶδε κύριος κτλ. 2 Petr. II, 9 beeinträchtigt würde."*

2. Cfr. imprimis Brueckneri ad alteram Petri epistolam introductionem.

3. Cfr. Hebr. XI, 7 *κατέκρινε* illud, cui infidelium sorti opponitur Noachi praeclarissima — *τῆς κατὰ πίστιν δικαιοσύνης ἐγένετο κληρονόμος*.

4. De Wette: *„Die Fluth und das jüngste Gericht (IV, 4) sind ihm die beiden grossen Wendepunkte für die Menschheit."* Cfr. Huther: *„Die Sündfluth gleichsam das Vorspiel des letzten Gerichts."* Cfr. Bengel, Steiger, al.

5. Cfr. supra Wiesinger.

Christus an seinem Fleische für die sündige Menschheit, erstand aber zugleich zum geistigen Leben und rettete eine kleine Anzahl (das Gegenbild der Familie Noahs), indem er sie durch die Wiedergeburt mittelst der Taufe und durch den Glauben an seine Auferstehung auf den Weg des Lebens im Geiste führte, während die Andern im letzten Gerichte ihre Strafe zu erwarten haben. Damit nun der Menschheit vor der Fluth, welche keinen Versöhner und Wegweiser zum Geistesleben gehabt hatte, gleichsam ihr Recht geschähe und der Mangel ersetzt würde, brachte ihnen der Auferstandene noch in der Unterwelt das Heil." Quae omnia justo sententiarum ordine procedunt usque ad verba: *während die Andern im letzten Gerichte ihre Strafe zu erwarten haben.* Jam postulat sententiarum ratio, ut sic pergamus — *wie jene im Gerichte der Sündfluth sie fanden, welches Gericht Christus, derselbe der sich bereit hält seit er erhöht ist dies gegenwärtige Geschlecht zu richten (IV, 5) — der Richter aller Geschlechter — bestätigt hat durch seinen Hingang in jener Gefängniss, durch die Verkündigung des Lebenssieges, der ihn zum Richter erhöht hat aller Ungläubigen, zum Retter aller die sich im Gehorsam des Glaubens jetzt retten lassen durch die Taufe, wie jene Wenigen sich retten liessen in die Arche.* Haec dumtaxat erat apta sententiarum consecutio, quum quod recte affirmatur diluvii judicium tanquam imago quaedam extremi judicii interponeretur, nec tamen haec in se ipsa sed accedente demum Christi praedicatione argumentandi vim nostro loco haberet. Illa autem De Wettii conclusio „*damit nun etc.*" nervum argumentationis Petrinae utique intersecat, praeterquam quod ipsa vis argumentis nititur quae Petrus certe in altera epistola[1] — contestante Christo et traditione antiqua — claris verbis respuit. Cum Noachum *κήρυκα δικαιοσύνης* appellat, non solum vitae sanctitatem („*Geistesleben*") vindicat ipsi, sed aequales per illum ad meliorem frugem licet frustra revocatos esse docet (De Wette: „*Welche keinen Wegweiser zum Geistesleben gehabt!*").[2]

Rediit jam causa eo unde egressi hanc de contextu recte perspiciendo et commonstrando quaestionem instituimus. Quae modo De Wettii expositionem emendantes vernaculo sermone interposuimus, summam referunt versuum III, 19—IV, 5 paullo accuratius infra exponendam. Nunc vero quod majoris momenti est quaeritur, nostraene an adversariorum sententiae faveant quae antecedant. Ablegare licet ad ea quae fusius supra exposita sunt de nexu versuum 17 et 18 (p. 15 sq.) de arctiore particulae *ἅπαξ* relatione ad *ζωοποιηθείς* participium (p. 16 sqq.) quo vitae gloriaeque restitutio quae mortis cruciatus secuta sit significetur; quomodo nunc demum istud *μακάριοι* (v. 14) complementum quasi et explicationem habeat (p. 11. 15), et in participio illo *ζωοποιηθείς* quasi argumentationis sensim ascendentis cacumen conspicuum sit. Guederus re-

1. Negat sane De Wette illam a Petro scriptam esse.

2. Conferas, quod sequatur ex Christi verbis: *καὶ οὐκ ἔγνωσαν* — Mtth. XXIV, 39 et Sir. XLIV, 17: *Νῶε εὑρέθη τέλειος δίκαιος, ἐν καιρῷ ὀργῆς ἐγένετο ἀντάλλαγμα* (De Wette: „*sie hatten keinen Versöhner*"*!*). Explicatur autem *ἀντάλλαγμα* ne perperam accipiatur, continuo *διὰ τοῦτο ἐγενήθη κατάλειμμα τῇ γῇ*. Quid vero hoc valeat ad eos qui perierunt et potuerunt salvi praestari et ipsi, jam ex locis illis notissimis Ezechielis concludi licet: XIV, 14. 16. 20. Cfr. ad *δίκαιος* de Noacho: Sap. X, 4. Hebr. XI, 7.

ctissime: „*Wie den Schluss, so die Spitze des in v. 19 enthaltenen Arguments bilden die Worte ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι*" (l. l. p. 41). Quibuscum quae sequuntur tam arcte conjuncta esse ponit ut quasi documento afferrentur vitae restitutae.[1] Etiam hoc satis recte dici potest. Sed quanta jam evadunt monstra argumentorum! „*Christus*, sic pergit, — *litt bis zum Tod am Fleische bei lebendigem, im Tode des Fleisches erst recht befreitem Geiste, so dass er (v. 19 sqq.) sogar auch nach seinem Tode die an ihm eigenthümliche Wirksamkeit fortsetzte. Seid getrost darum! — ihr lebet wie er im Tode selbst und über denselben hinaus.*" Christianos ergo vivere in aeternum, quia Christus Noachitis evangelium praedicarit in inferis! Mirum quantum patitur Petrus! Aliam viam nuper Weissius denuo ingressus est ut „digressionem" illam, qua omnino statuit apostolum h. l. a proposita oratione aberrassé, contextui quodam modo insereret.[2] „— *Der allerdings schwierige Zusammenhang der Stelle scheint mir dieser zu sein. Petrus hat v. 16. 17 die Christen ermahnt, im Gutesthun verharrend, das Leiden auf sich zu nehmen, theils weil es für sie, die Gläubigen, besser sei, theils weil es die ungläubigen Lästerer beschämen und so zur Busse leiten werde* (? cf. p. 14 supra ad v. 16.). *Diese Ermahnung verstärkt er durch Vorhaltung des Beispiels Christi, der auch als ein Gerechter das Leiden willig (weil stellvertretend) auf sich genommen habe, einmal damit er die Gläubigen wieder zu Gott herzuführen, und dann damit er, gestorben, in den Hades gehen und auch die einst ungläubig Gebliebenen noch bekehren könne.*" *(!!)* Ipse sensisse videtur vir doctus talia vix cuiquam persuaderi praeter ipsum; nam addit: „*Allerdings tritt diese Gedankenbeziehung nicht eben sehr klar hervor; aber ich sehe keinen andern Weg, die Digression des Apostels (III, 19 f.) aus dem Zusammenhange zu motiviren.*" Quanto melior et planior est via qua ingressus De Wette rem absolvere conatus est. Quanto rectius Calvinus: „non animadvertunt, inquit, hoc praecipue velle Petrum, quemadmodum potentia spiritus Christi vivificam se in ipso ostendit et talis a mortuis fuit cognita" (de piis enim cogitat) „talem etiam erga nos fore." Ex Weissii mente vexatis Christianis consolatio paratur non tam inde quod Christo salvatore fruantur ipsi, quam quod adversarii ipsis utantur tanquam salvatoribus. Atqui cur hoc solatium ab inferis petamus? Sed taedet recensere omnia illa commenta quibus Petri jubent excusari quam ipsi perperam supposuerunt digressionem. Nulla re luculentius refutatur illa de evangelio ad inferos praedicato opinio, quam quod inter fautores illius innumeros nemo est, qui salva orationis perspicuitate hanc sententiam contextui inferre valuerit.[3]

Qui quomodo locus noster sententiarum seriei inseratur animo recte informare voluerit, is ante omnia attendat quaeso ad brevem illam

1. „*Für welche Lebendigerhaltung der beste Beweis ist, dass er* u. s. w." — p. 43.
2. l. l. p. 231 sq.
3. Wiesingeri ratio orationis Petrinae contexendae profecto ingeniosior est quam omnium reliquorum, etsi ipse quoque Guederi et Weissii fere viam sectatur. Repugnant tamen cum quae supra de nexu inde a tertio decimo versu obtinente et de loci ipsius natura proposuimus diversa a Wiesingeri interpretatione, tum quae infra afferentur de generis illius diluvio perditi nota ex traditione antiquissima, turpiore sane quam quae iis vindicaverit spem gratiosae per Christum salutationis.

quasi summam epistolae versus intercalaris instar ter quaterve repetitam *τὰ παθήματα καὶ αἱ μετὰ ταῦτα δόξαι*. (I, 11. IV, 13. V, 1.) Quae quidem hoc nostro loco, quo modo in Christo ipso conspicua sint, ita describuntur, ut non imagine ut ante (II, 7) sed re ipsa exponantur: *θανατωθεὶς μὲν σαρκί, ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι*. Inde concludi licet, participia illa non ut additamentum quoddam adjungi, sed loci illius summam continere. Sequitur deinde ut isto *ζωοποιηθείς* tanquam gloriae initio comprehendantur simul singuli illius gradus qui deinde commemorantur. Ascensus certe in coelos quam arcte cum vita Christi restituta cohaereat, indicat apostolus ipse sub finem capitis ut primum resurrectionis mentionem recoluit (v. 21) continuo adjungens illa: *ὅς ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ* (v. 22). Sed etiam quod paullo infra dicitur Christus *ἑτοίμως ἔχων κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς* (IV, 5) haud dubie respicit ad initia illius quo jam utatur status, mox hominibus omnibus et infidelibus (v. 5) et fidelibus (v. 13. V, 1. 4) patefaciendi.[1] Neque desunt e quibus arctior nexus nostri loci cum quinto versu proximi capitis cognoscatur. Sexto enim versu qui in unum fere cum quinto conjunctus est eadem illa, quae III, 18 de Christo referuntur (*θανατωθεὶς σαρκί — ζωοποιηθεὶς πνεύματι*), jam omnibus quibus evangelium Christi praedicatum sit attribuuntur tam patienda quam speranda (*κριθῆναι — σαρκί, ζῆν — πνεύματι*). Jam oratio v. 6 ad finem aliquem adducta de integro quasi incipit versu septimo. Sic inter versus duodevigesimum tertii et sextum quarti capitis computatur quasi argumentationis summa ante proposita III, 17 atque sub finem capitis quarti breviter denique repetita v. 19.

Deinde quae de Christo in his versibus docemur, ea, id quod probe tenendum est, non tam ut lectoribus doctrina quadam imbuendis quam confirmandis in sancta vita et fide potissimum in afflictationibus patienter ferendis inservirent scripta sunt. Omnino *παθήματα* illa et *δόξαι* non quae Christi sint et fuerint per se spectantur, sed quae post Christum sint Christianorum. Hinc statim ab initio interpositum est istud *ἵνα ἡμᾶς προςαγάγῃ τῷ θεῷ*, quod quomodo perfecerit deinde accuratius describitur Christi ipsius ad Deum patrem profectione et ascensu.

Hoc unum jam si voluisset affirmare Christianos quippe fideles cum Christo ex afflictationibus illis ad vitae gloriam adductum iri, versibus 19 et 20 sane non opus erat. Continuo licebat adjungere baptismi mentionem, quippe quo et ipsi Christiani recuperatae illius per resurrectionem vitae novae et spiritualis participes facti essent gloriaeque aeternae quasi arrhabonem accepissent quam plenam exspectarent jam ab illo qui redux e mortuis gloriaeque summae potitus ad coelos ascendisset. Sic plane procedebat oratio. Mirum quantum certe errant qui putant, ut ad baptismi mentionem viam sibi pararet inseruisse apostolum nonnulla de diluvio. Quantae ambages, aquam baptismi petere ex diluvii undis! In promptu erat apostolo baptismi notio cum scriberet initio epistolae: *ὁ ἀναγεννήσας ἡμᾶς εἰς ἐλπίδα ζῶσαν δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκ νεκρῶν* (v. 3). Ipsa Christi mortis et resurrectionis mentio quemvis Christianum facit de baptismo cogitare. (Rom. VI, 4. Col. II, 11. 12.)

---

1. De Wette: „*Dem der in Bereitschaft stehet Lebendige und Todte zu richten, nämlich dem auferstandenen, zur Rechten Gottes sitzenden Heilande (III, 22).*“

Atque quo tandem jure potuit, ex quo antecedentia penderent ipsa, his subjungi vinculo laxissimo *ὃ καὶ — νῦν*.[1]

Aliunde repetenda est causa, quamobrem versus nostros interposuerit apostolus. Bipartita quasi utitur argumentatione, id quod satis accurate significatur participiis *πορευθείς* initio et sub finem sibi respondentibus. Descendens et ascendens vitae gloriaeque recuperatae vim exhibuit Christus. Utrumque vero debet in Christianorum animi confirmationem factum esse vel certe a Petro jam commemorari. Neque hoc difficile est intellectu. Voluit enim, ut ipsius apostoli verbis utamur, non hoc solum confirmatum *ὅτι οἱ ὀφθαλμοὶ κυρίου ἐπὶ δικαίους καὶ ὦτα αὐτοῦ εἰς δέησιν αὐτῶν*, sed alterum simul probatum exemplo *ὅτι πρόςωπον κυρίου ἐπὶ ποιοῦντας κακά* (v. 12). Adversariorum quidem ipsorum judicium a reditu Christi extrema die erat exspectandum (IV, 5). Sed a futuro tempore solatium non apte repetitur, ubi quantum gloriae et potestatis jam consecutus sit Christus dux ille et auctor salutis Christianorum exponitur. Certe futuri rei Christianae triumphi spes quam maxime erigebatur ejusdem aliquando jam acti exemplo proposito. Atqui parum efficiebat lectorum ad antiquum quoddam in impios immissum judicium ablegatio quamvis gravissimum; nam sane gravius diluvio non potuit inveniri. Qua enim causa in summum fidei discrimen vocarentur Christiani, haec fuit, quod Christo ad coelos evecto vigere impiorum protervitatem et quasi triumphum de Christianis agere viderent. Hanc ob causam debuit apostolus id quod allaturus erat exemplum Christi de impiis juste judicantis, ex eo ipso tempore repetere, quo post Christi resurrectionem constituta erat res Christiana. Hierosolyma nondum erant expugnata. Sed aliud erat in promptu: descensus Christi ad inferos, de quo lectores non nunc primum informari, loci nostri ratio satis clare prodit. Etenim brevior est apostolus et minus subtilis quam in dogmate tanti momenti primum tradendo debuit.[2] Proinde desistamus a spe, fore ut ex nostro loco per se spectato ita informemur de descensu, ut totum illius ambitum oculis quasi terminemus. Neque omnino hic locus erat commemorandi quid aliis fuisset descensus Christi, e. c. angelis istis malis, qui et ipsi vinculis tenerentur in inferno Petro et Juda testibus. Hoc unum spectat, quid egerit Christus apparens inter eos qui diluvio illo abrepti inobedientiam suam in carcere luerent. Quanta enim antiquum illud tempus et praesens Christianorum conditio inter se conjuncta sint similitudine, ipse satis clare ostendit parvum eorum numerum qui tunc in arca servati sint componens cum paucitate Christianorum qui baptismum in se recipiant.[3] Quid autem potuit magis facere ad confirmandos paucorum et pressorum Christianorum animos, quam quod Christum, ut primum ipse victor e passionis cruciatu prodierit, abiisse viderent confutatum incredulitatem et inobedientiam multitudinis illius

---

1. Cfr. Wiesinger p. 247: „*Man muss den Sinn von v. 19. 20 nicht nach dieser relativischen Anknüpfung, dergleichen der Verf. liebt, bestimmen wollen.*“

2. Cfr. Weiss *Petrin. Lehrbegr.*: „*Petrus setzt die Hadesfahrt Christi an sich den Lesern so gut als bekannt voraus, wie die andern Thatsachen aus dem Leben Christi, die er in unserm Briefe erwähnt und gedenkt ihrer nur gelegentlich.*“ p. 229 sq. Gueder l. l.: „*Petrus kommt mehr nur zufällig auf sie zu reden.*“ al.

3. Cfr. De Wette: „*— rettete eine kleine Anzahl, das Gegenbild der Familie Noah's.*“

quae tunc mole sua paene oppresserat manum piorum, itemque octo animarum justitiam et fidem vindicatum? Adversarios etiam qui nunc essent judicare paratum promptumque esse Christum (IV, 5), multo confidentius jam asseverare potuit exemplo illo praemisso.

Accedit quod mores horum judicandorum paene ad modum aequalium illorum Noachi describi videmus. *Ἀσέλγειαι ἐπιθυμίαι οἰνοφλυγίαι κῶμοι πότοι* (IV, 3) nonne cuivis in mentem revocant verba Christi de genere illo: *ἦσαν — τρώγοντες καὶ πίνοντες, γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες* (Mtth. XXIV, 38)? Certe hoc nemo infitias ierit, verbis quinti versus — *μὴ συντρεχόντων ὑμῶν εἰς τὴν αὐτὴν τῆς ἀσωτίας ἀνάχυσιν* eandem inesse parvae manus piorum cum impiorum multitudine, quorum protervitate tanquam lege omnibus observanda pauci illi premantur, comparationem, quae declaratur supra quum octo qui crediderint toti infidelium generi opponuntur. Eodem modo sub finem judicii extremi mentionem ita fieri videmus, ut ab exemplo illo antiquo rationem describendi mutuetur apostolus: *τί τὸ τέλος τῶν ἀπειθούντων τῷ τοῦ θεοῦ εὐαγγελίῳ; καὶ εἰ ὁ δίκαιος μόλις σώζεται, ὁ ἀσεβὴς καὶ ἁμαρτωλὸς ποῦ φανεῖται;*[1]

Qualis quaeso, ut hoc iterum ac saepe repetam, argumentatio esset, si severum aliquando a Christo imminere judicium iis qui ad similitudinem aequalium Noachi peccarent concluderetur e carcere horum ipsorum per eundem Christum recluso.[2] Immo clarius etiam apparebit, quo modo supra procedat apostoli argumentatio. Impios primum confutandos per Christum ipsum liberatum ab impiorum violentia (cfr. *θανατωθείς* cum II, 7) confirmat exemplo, antequam servandorum et purgandorum piorum spem ac viam monstret denuo. Loci jam inserviunt rei depingendae. Ad carcerem quippe ubi judicio obnoxii detineantur primum descendit victor et judex, deinde ascendit ad coelos quasi in tribunal, ante quod causa Christianorum omniumque piorum denique decernatur publice (cf. III, 16 cum IV, 5). Eadem igitur paene partitio hoc loco obtinet ac quam ordine inverso legimus in altera Petri epistola (II, 9): *οἶδε κύριος εὐσεβεῖς ἐκ πειρασμοῦ ῥύεσθαι, ἀδίκους δὲ εἰς ἡμέραν κρίσεως κολαζομένους τηρεῖν*, quae sententia quam apte et cum argumento prioris epistolae et cum nostri loci contextu (v. 12. 14. 16. 17) conveniret, nullum latere debuit.

Sic probatum videtur tam ex verbis ipsis quam e contextu loci, evangelii inferis praedicati mentionem perperam immisceri loco nostro. Restat ut rationem, quam inter hunc et sextum quarti capitis versum intercedere putant arctiorem interpretes fere omnes, accuratius exploremus.[3]

---

1. Cfr. supra: *εἰς ἣν ὀλίγαι τοῦτ' ἔστιν ὀκτὼ ψυχαὶ διεσώθησαν* — — et 2 Petr. II, 5: *ὄγδοον Νῶε δικαιοσύνης κήρυκα ἐφύλαξε, κατακλυσμὸν κόσμῳ ἀσεβῶν ἐπάξας.*

2. Bene quidem scimus, quae ab interpretibus poni soleat distinctio inter eos qui evangelium audiant et Noachitarum culpam; sed Petrus certe (2 ep. II, 9) aliter judicat et supra in augendam culpam omnia, nihil in minuendam affert.

3. Hoc loco videtur apte inserenda nostra de versu vigesimo primo, difficillimo illo loco, sententia cohaerens quidem arcte cum totius loci interpretatione. Adjungit apostolus hoc versu alteram argumentationis partem, quae proprie debebat illud *ζωοποιηθείς* continuo sequi; nam ex hac Christi victoria Christianorum salus manat. Sed praemisit quibus judicium infidelibus a Christo immineus confir-

maretur, cum quia antequam ad lucem hujus mundi et ad suos visitandos redibat inter inferos egisse videtur, tum quia toto hoc loco de adversariorum in Christianos violentia maxime sermo est. Quid vero necessitatis inter Christianorum salutem et Christi resurrectionem intercedat, sub finem hujus versus significat repetita resurrectionis mentione. Nunc a Noacho ex ipsis illis undis in quibus reliqui peribant salvo praestito transitum sibi parat. *Ὃ* (scil. *ὕδωρ*) *καὶ ὑμᾶς* (ita videtur potius legendum) *ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν, δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Particula *καί* efficitur ut de salvandi vi in diluvii undis simul conspicua cogitemus. Atque facile intelligitur Noachum servatum esse aquae non minus quam arcae ope. De potestate vocis *ἀντίτυπος* cfr. Wiesingerum. *Σώζει* praesens docet non tam quid baptismo in Christianis effectum sit quum intingebantur, quam quid competat iis, qui baptismum in se receperint, nempe salus medio in mundi judicio, quippe quod instaret jam (IV, 5. 7) in diluvio quasi praeformatum. (Hofmann: „*Nicht was die Taufe wirkt, indem sie geschieht, sondern was sie dem leistet, welcher sie hat an sich geschehen lassen, sagt der Apostel.*" l. l. p. 163.) Inde jam non immerito concluditur, hoc loco non de culpa peccati in baptismo sublata agi — nam quam Hofmannus (l. l.) immiscet terrae a peccatis hominum quasi purgatae notionem, ea aliena est ab apostoli verbis — sed de illa regenerandi vi quae in vita aeterna penitus denique intranda conspicua est. Id quod sequitur cum ex totius epistolae tum horum versuum ratione.

Ad reliqua recte explicanda plurimum facit istud *δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ* sub finem additum. Quaeritur quo sit referendum, ad *σώζει* an ad ea quibuscum proxime cohaeret *ἐπερώτημα εἰς θεόν*. Ex baptismi notione qui rem judicat, facile eo animum adduxerit ut jungendum censeat *σώζει — δι' ἀναστάσεως*, id quod optime iis respondet quae initio epistolae scripta legimus (I, 3): *ὁ — ἀναγεννήσας ἡμᾶς εἰς ἐλπίδα ζῶσαν δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκ νεκρῶν.* Neque sententiarum nexui melius consuli posse videtur, quam quum verbo enuntiati primario ea notio adstruitur, qua quasi arctissimo vinculo verba nostra annectantur participio illi *ζωοποιηθείς*. Sed tamen obstat, nisi fallor, enuntiati ipsius ratio nexusque cum proxime antecedentibus. Primum istud *σώζει* cum ea quae antecedit aquae similitudine ita cohaeret, ut haec turbari prorsus videatur si *ἀντιτύπῳ* qui dicitur immisceamus, cujus simile in *τύπῳ* omnino non est conspicuum. Quae comparantur duo maxime sunt, aquae notio et ea quae inesse dicitur salvandi vis. Resurrectionis Christi mentio in comparatione non habet locum. Immo addendum erat ibi; ubi jam, quae baptismi propria notio et vis esset aquae simplicis dissimilis potius quam similis, subjungebatur. Idem videtur ex collocatione verborum sequi. Si quae post verba *σώζει βάπτισμα* interponuntur parenthesis vice fungerentur, fieri posset, ut sub finem versus majore etiam cum vi adderentur quae adverbii potestatem haberent. Sed verborum interpositorum haec aperte ratio est, ut alterum alteri subjungatur, et si parenthesis quaedam statuenda sit hunc locum priora verba teneant *οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλά*—, quae respiciunt ad aquae simplicis naturam, quippe cujus mentione transitum sibi paravit. Accedit quod *σώζει* verbi itemque baptismi notio nihil quo explicetur desiderat; plurimi autem interest ut habeamus, unde obscurissima illa notio *ἐπερώτημα* quid velit intelligatur. Hinc, id quod locus quem tenent verba *δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ* huic notioni proximum postulare videtur, cum *ἐπερώτημα* ea conjungas. Baptismus dicitur *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεὸν δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Primum conscientiae rectae mentio respicit tam ad proxime antecedentia, quum internum baptismi effectum opponunt illi quod aquae simplicis ope fit corporis balneo, quam ad versum 16, ubi qua Christiani sese ubique praestare debeant, conscientia recti commemoratur, id quod plurimum facit ad sententiarum nexum recte perspiciendum. Summum in sententia locum tenere hanc notionem facile cognoscitur tam e verborum collocatione, quaminde quod in ea maxime cernitur, quid discriminis sit inter baptismi et simplicis aquae usum. Hinc videtur hac notione non posse non significari quid praestiterit baptismus iis qui eum in se recepissent. Sed additum videmus aliud, quod magis etiam explicatione eget, *ἐπερώτημα εἰς θεόν.* De his verbis antequam de genitivis illis dignoscamus est inquirendum. De potestate vocis *ἐπερώτημα* nuper accuratissime disputatum est (Besser in *Zeitschrift für Protestantismus u. Kirche von Thomasius usw. XXXI*, 5 p. 293 sqq.) ita ut pauca fere addenda videantur. Notio „sponsionis" quam amplectuntur De Wette-Brueckner, Huther alii (cfr. contra hos Winer Gramm. ed. VI p. 171), non invenitur nisi apud juris consultos serioris aevi

(Theophilus instit. III, 15 p. 253 [622 Reitz]. 255. 257. cfr. III, 288 sq. 292. Cod. Justin. VII, 9 nov. 97 prooem. al.). Caeterum quae in inscriptionibus ex Antoninorum et sequentium Caesarum aetate haud infrequens formula invenitur: κατὰ τὸ ἐπερώτημα τῆς σεμνοτάτης βουλῆς (Corp. inscr. t. I no. 189, 1. p. 319. no. 379, 9. p. 438. no. 380, 1. p. 439. no. 395, 2. p. 446. no. 402, 4. p. 449. no. 445, 1. p. 461) ne ea quidem novae vocabuli ἐπερώτημα significationis viam aperit; significat enim non ex senatus consulto (quod est κατὰ τὰ δόξαντα τῇ βουλῇ), sed facta ante apud senatum rogatione seu consultatione, nostrum *nach geschehener Anfrage beim Senat* i. e. *mit obrigkeitlicher Bewilligung*. LXX interpretes quum Dan. IV, 14 habent ἐπερώτημα, profecto ad similitudinem textus Hebraici instituerunt sermonem ubi legitur שְׁאֵלְתָא.

Praeter hunc et nostrum locum neque in No. To. neque apud LXX interpretes legitur nomen. Etiam ἐπερώτησις rarius invenitur (Gen. XLIII, 6). Facile tamen de substantivorum potestate concluditur ex verbi usu frequentissimo. Atqui hoc ubique habet vim interrogandi (ἐπί τι vel περί τινος, vel sequente relativa enuntiatione. Dan. II, 11. 27. Gen. XXVI, 7. XXXVIII, 21. XLIII, 6. Deut. IV, 32. Maxime Deum interrogare, seq. accus., Num. XXIII, 3. 15. Ezech. XX, 1. 3. 3 Regg. XXII, 7. 8., vel etiam cum ἐν et διά Judd. I, 1. XVIII, 5. XX, 18. cfr. Ezech. XIV, 7. Jes. XIX, 3. Deut. XVIII, 11. Dan. II, 11. 1 Chron. X, 13). Ad eundem usum revocandi sunt ii loci, ubi petendi vim habere hoc verbum nonnulli volunt (Hofmann *Schriftbew. II*, 2 p. 166. Wiesinger al.). Ita Ps. CXXXVI (137), 3 ubi interrogandi vis appositissima est; nam cum quadam irrisione percontati sunt Judaeos de ipsorum carminibus. Cfr. Prov. XVII, 28. Jes. LXV, 1 cum Rom. X, 20. Jerem. XXXVII (30), 14. Ad Mtth. XVI, 1 quem nuper Wiesinger denuo exempli loco attulit conferas Fritzschii explicationem rectiorem. Hinc statuendum est substantivum istud hoc unum significare: *Anfrage*, cui notioni, quum desiderii vis in ea lateat, apte respondet quod adjungitur εἰς θεόν. Petendi potestati, quam per se non habet neque verbum neque nomen (cfr. Hdt. VI, 67. Thuc. III, 53), istud εἰς jam male convenit. Conferas quae huic interpretationi Besser l. l. recte opposuit. Caeterum non quid quaeratur vel rogetur in baptismo recipiendo, sed quid quaerere liceat ei qui in baptismo purgatam nactus sit conscientiam, id agitur hoc loco. In baptismo, inquit apostolus, non corpus abluitur, sed animus ita ut bona prodeat conscientia, cui jam liceat compellare Deum (cfr. Bengel et Besser l. l.). Qua de re compellet Deum, addendum est ex sententiarum nexu. Neque vero ubi hoc anquiramus, in dubio relinquitur. Additum est δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, quibus verbis ablegamur ad antecedentia. Addunt enim haec quo quasi jure nitatur ista interrogatio. Atque quum per se inanis fere sit notio interrogationis, pleniorem jam nanciscitur vim, quam reddas fere compellationem vel vernacule *„Anrecht, Anspruch auf Grund"* uti nostro quoque sermone usurpatur *„Frage, die berechtigte, die man frei hat an Jemand."* Interrogant quodammodo, ubi sint quandoque appareant quae sibi futura ex Christi resurrectione sperare liceat. Hinc satis recte addendum cogitatione voluit Steiger σωτηρία, dummodo ne cogitetur de ea baptismi vi quae cernitur in abroganda peccatorum culpa; nam haec notio quum primariam in tota argumentatione vim non habeat, latet in genitivis συνειδήσεως ἀγαθῆς. Hoc supposito quid nitatur eoque efficiatur, id maxime spectat apostolus. Supra jam (v. 16) ostendit, bona conscientia niti spem, fore ut ab adversariorum injuriis vindicetur sancta Christianorum vita. Postremo vero et absolute vindicabuntur non in die quadam hominum judicii, sed ubi ad mundi judicium redierit Christus e mortuis redivivus. Hanc ad spem eriguntur Christiani cum de Christi e morte reducis potestate animi eorum ab apostolo confirmantur (III, 18. 22. IV, 5). Hanc spem ut fortissime quisque teneat, sigillo firmissimo inservit baptismus, quum quod summa hominum cura non efficit, gratia et venia Christi conscientiam hominis reddat bonam et placatam. Besser: *„Ohne gutes Gewissen gibt es nur Fragen des Zweifels."* l. l. p. 301. Purgato jam a culpa peccatorum animo, quaerunt cum quadam Dei compellatione, non tam, quod Besser vult l. l.: *„Bist du nicht für uns und unter uns?"* vel tale quid a resurrectionis mentione quomodo hoc loco fit satis alienum, quam, „quando" inquientes, „vindicabis nos, quando redibit qui resurrexit Jesus Christus vita nostra et salus, conscientiae rectae, quam dedit, vindex?" Ita omnia suo quaeque loco et ordine procedunt.

III.

DE SENTENTIA LOCI I PETR. IV, 6.

Transitum ad alterum illum locum (IV, 6) ita videmus parari ut ablegentur lectores rursus ad passionis Christi exemplum. Novo autem hoc argumento confirmatur jam adhortatio (v. 1) *ὅτι ὁ παθὼν ἐν σαρκὶ πέπαυται ἁμαρτίας.*[1] Quid velint verba non recte intelliges nisi statim nunc argumentationis conclusionem comparaveris cum hoc ex quo sit progressa loco. Praesignificatur autem finis ille jam versu secundo: *εἰς τὸ μηκέτι ἀνθρώπων ἐπιθυμίαις ἀλλὰ θελήματι θεοῦ τὸν ἐπίλοιπον ἐν σαρκὶ βιῶσαι χρόνον.* Deposita scilicet priore novam esse ineundam vitam. Accuratius vero et elegantiore quodam utens verborum delectu versu sexto eandem fere sententiam ita refert: *εἰς τοῦτο — εὐηγγελίσθη ἵνα κριθῶσι μὲν κατὰ ἀνθρώπους σαρκί, ζῶσι δὲ κατὰ θεὸν πνεύματι*, ubi verba ipsa singula nos memores faciunt aequabilitatis illorum quae supra de Christo legimus: *θανατωθεὶς μὲν σαρκί, ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι.*[2] Atque ad haec ipsa respicit, ad illa sexti versus prospicit transitus hic: *Χριστοῦ οὖν παθόντος σαρκί, καὶ ὑμεῖς — ὅτι ὁ παθὼν ἐν*

---

1. Hofmanni sententiam qui censet, particula *ὅτι* exponi quae fuerit illa Christi *ἔννοια*, ut amplecteremur, ne Wiesingeri quidem argumenta commoverunt. Wiesinger errat quum dicit *ἔννοια* reddendum esse ubique „*Gedanke*" nunquam „*Gesinnung.*" Passovius quem citat potuit ália docere (ed. V p. 942). Apud bonos adeo scriptores ita usurpatur neque a poetis tantum (Eur. Hel. 1026: *Ἥρας δὲ τὴν ἔννοιαν ἐν ταὐτῷ μένειν, ἣν ἐς σὲ καὶ σὸν πόσιν ἔχει σωτηρίας*); similiter atque Petrus hoc loco Isocrat. p. 112 D. (Philipp. §. 150): *τοιαύτην ἔννοιαν ἐμποιεῖν τινι.* Hebr. IV, 12 non potest in comparationem vocari, quia plurali numero alia vi dicitur. Apud LXX utraque significatione legitur; saepissime occurrit in Proverbiis (cfr. III, 21: *υἱὲ — — τήρησον ἐμὴν βουλὴν καὶ ἔννοιαν.* Hesychius explicat *ἔννοιαν* voce *βουλή*); quamvis soleat ibi magis de prudentia (מְזִמָּה) quam de voluntate recta dici cfr. I, 4. V, 2. Conferas etiam XXIII, 19: *κατεύθυνε ἐννοίας σῆς καρδίας· μὴ ἴσθι οἰνοπότης κτλ.* XXI, 26 pro *ἐπιθυμίαι κακαί* apud Aquilam legitur *ἔννοιαι.* Qui Alexandrinorum consuetudinem in nostro loco secuturus est, debet vertere „*wappnet auch ihr euch mit derselben Klugheit.*" Omnino vero parum apte Christus dicitur ita mortuus esse, ut cogitaverit de peccati cum morte una posito fine. (Hofmann „*mit dem Gedanken hat Christus den Tod erlitten, dass mit dem Tode die Beziehung der Sünde vorbei ist.*" „*So ist es nun der Gedanke, mit solchem Leiden an solches Ziel zu kommen, welcher ihn bestimmt hat zu leiden*"!? *Schriftbew. II* p. 326 sq.) Similitudo inest in *παθεῖν σαρκί* atque frustra opponit Wiesinger, in his non sermonem esse de ratione qua Christus passus sit. Primum istud *σαρκί* positum ea vi quam habet ex oppositione *πνεύματι* sane rationem describit; neque vero de ratione sola agitur, sed in hoc ipso jubet apostolus Christianos Christum sequi ut patiantur in carne neque adversariorum vexationes detrectent. Quod quia sine quadam animi repugnatione fieri non solet, animo quandam quasi armaturam induant oportere (*ὁπλίσασθε*), qua firmus reddatur contra omnes adversariorum impetus. Verba *ὅτι ὁ παθὼν κτλ.* quasi praemii notionem afferunt.

2. Wiesinger hanc similitudinem bene perspexit: „*auf diese Stelle aber weist die vorliegende nicht blos in Ansehung des Gegensatzes von σάρξ und πνεῦμα, sondern auch des κριθῶσι und ζῶσι zurück*" p. 274 sq.

σαρκὶ πέπαυται ἁμαρτίας. Moritur quasi in cruciatu calamitatum istarum et vexationum homo ita, ut desinat vivere quem in modum ante vixerit. Ὁ Χριστὸς παθὼν σαρκί idem est qui supra dicitur θανατωθεὶς σαρκί. In notione autem σαρκός conclusionis cardo vertitur. Caro quae patitur eadem est in Christo quae in Christianis. Christus vero sine ulla sua culpa perpessus est quae alii commiserunt, δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων περὶ ἁμαρτιῶν scilicet aliorum. Carne Christo tributa nihil ei tribuitur immunditiae. Aliam esse vocis vim et rationem in reliquis significatur judicii notione substituta passionis; ita v. 6: ἵνα κριθῶσι — σαρκί cf. v. 17: ὁ καιρὸς ἄρξασθαι τὸ κρίμα — ἀφ' ἡμῶν.[1] Sic primo etiam versu carnis notionem simul peccati labem complecti docet id ipsum quod sequitur πέπαυται ἁμαρτίας εἰς τὸ μηκέτι ἀνθρώπων ἐπιθυμίαις — βιῶσαι.

Hac vero ex parte quum differentia praevalere videatur similitudine, juvabit statim adjungere alterum comparationis membrum. Vita enim nova ad quam e morte emersisse dicitur Christus appellatur spiritualis: ζωοποιηθεὶς πνεύματι. Idem vero prorsus significatur finis, quem ut consequantur per evangelium homines etiam invitantur, εὐηγγελίσθη ἵνα — ζῶσι κατὰ θεὸν πνεύματι, cujus simile quatenus in hac vita jam conspicuum sit, supra his verbis describitur — θελήματι θεοῦ τὸν ἐπίλοιπον ἐν σαρκὶ βιῶσαι χρόνον.[2] — Haec igitur inter se comparari videntur: Christum mortuum post multos passionis cruciatus ad novam vitam emersisse, Christianos eadem via ad eundem finem adspirare debere; hoc velle evangelium quod de Christo praedicetur; in via ipsa constitutos jam esse lectores, cum ad Christi similitudinem infidelium premantur vexationibus.[3] Quod qui patiantur eodem quo Christus animo (τὴν αὐτὴν ἔννοιαν) similes esse illius qui sponte vitam deposuerit. Atqui quam ipsi deponant, vitam esse non quidem humanam sed hominum libidinibus inquinatam. Qui vero sic rebus humanis renuntiaverit, eum cum vita in peccatis acta divinam vel spiritualem commutare, hoc in mundo ineundam, perfecte nanciscendam carne penitus exuta.

Jam istud perfectum πέπαυται facilius etiam explicatur. Ante omnia statuendum est formam dicendi petitam esse a Christi similitudine, qui mortem semel perpessus ad novam vitam emersit qua jam utatur. Hoc autem quo jure ad eos applicetur, qui hac in vita certe per vexationes ad Dei voluntatem patiendas non nisi sensim proficiant in vita ab omni peccatorum inquinamento purganda, inde demum cognoscitur quod baptismi mentio interposita est inter hoc quod de Christianis nunc praedicatur et illud quod supra de Christo dictum est. Baptismo accepto novae illius et ab omni peccati reatu purgatae vitae participes facti sunt.[4] Quum vero propter hanc sanctam vitam persecutiones patiuntur, denuo quasi et altius in aqua illa salutari intinguntur. Itaque similem prorsus habemus sententiam illi Paulinae ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς

---

1. Etiam hoc de judicio dici quod carne sentiatur, apparet e versu 19 ubi qui tale quid experiantur appellantur οἱ πάσχοντες.

2. Hinc etiam v. 1 legitur ἐν σαρκὶ παθών, alia quidem relatione atque ubi σαρκί scriptum est, sententia vero non immutata. Cfr. Win. Gramm. p. 366. ed. VI.

3. Rectissime a Wiesingero monetur, verba ὁ παθὼν ἐν σαρκί hoc loco debere accipi eodem sensu quo supra illa πάσχειν διὰ δικαιοσύνην (III, 14). Vocat in comparationem 2 Cor. IV, 10. 16. Phil. III, 10.

4. Joh. Gerh.: Sumto argumento non solum ab exemplo, sed etiam a virtute mortis Christi.

ἁμαρτίας (Rom. VI, 7 cfr. 4).[1] Etiam quod supra legimus (II, 24), apte in comparationem vocatur — — *ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν.* Modo hoc teneatur, nostro loco non tam quae fide accipiatur justitiam quam quae virtute exhibeatur vitae renovationem apostolo obversari et ad similitudinem exempli Christi ita describi quasi perfecta jam sit et completa. Quae sequuntur *εἰς τὸ μηκέτι* — *βιῶσαι* satis clare ostendunt, agi de fine non eo quo pervenerint, sed quo properandum sit.[2] Quibus si recte complexi sumus argumentum horum versuum nexumque sententiarum, non nihil lucis jam affusum erit loco perillustri: *εἰς τοῦτο γὰρ καὶ νεκροῖς εὐηγγελίσθη ἵνα κριθῶσι μὲν κατὰ ἀνθρώπους σαρκί, ζῶσι δὲ κατὰ θεὸν πνεύματι.*

Primum, id quod aptissime hoc loco statim interponitur, istud *κριθῆναι* — *σαρκί* quid sit, facile explicabitur ex antecedentibus. Cogitatur de passionum cruciatu qui morte cumulatur simul et finitur (cfr. III, 18. IV, 1. 17). Judicium appellatur, quia qui haec patiantur peccatorum poenam luunt. Id quod verbis *κατὰ ἀνθρώπους* clarius exprimitur (cfr. supra p. 7). Ablegant haec aperte ad v. 2: *ἀνθρώπων ἐπιθυμίαις* et docent de judicio hominibus proprio agi cui teneantur obnoxii, quippe carne immunda praediti. *Σαρκί* vero quum adjungitur, hoc ex sententiarum nexu ita dictum est, ut ipso illo carnis judicio altera hominis ex spiritu divino regenerati pars liberata cogitetur tam a peccatorum (IV, 1) quam a poenae commercio. N e q u e o m n i n o e x a p o s t o l i m e n t e t a l e q u i d d e m o r t e i n f i d e l i u m d i c i p o t u i t. In iis non caro quae h. l. dicitur, sed ipse animus, ipsa voluntas judicio erat obnoxia. In tota epistolae argumentatione *σαρκὶ παθεῖν* vel *κριθῆναι* significat eam carnis mortificationem quae ipsa animi vita est. Intelligitur jam inde, invito apostolo a De Wettio et aliis haec verba de judicio infidelibus Noachi aequalibus immisso accipi.

Arcte cohaeret cum hac altera etiam de structura membrorum quaestio. Duo enim haec membra finalia *ἵνα κριθῶσι μέν* — *ζῶσι δέ* ita videntur comparata, ut utrumque eodem modo ex verbo *εὐηγγελίσθη* pendere statuamus. Satis notum est multos, qui nuper in expediendo hoc loco elaboraverint, ita eum accipere, ut *κριθῆναι* istud prius factum esse credant quam ipsam evangelii praedicationem, effectum autem hujus in altero tantum membro (*ζῶσι δὲ* — *πνεύματι*) exprimi;[3] quasi

---

1. Conferas maxime v. 11 sq.: *οὕτω καὶ ὑμεῖς λογίζεσθε ἑαυτοὺς νεκροὺς μὲν τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῶντας δὲ τῷ θεῷ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Μὴ ο ὖ ν β α σ ι λ ε υ έ τ ω ἡ ἁμαρτία κτλ.* Wiesinger l. l. p. 264 sq.

2. Recte ab Huthero ablegamur ad relationem qua *μηκέτι* particula cum perfecto *πέπαυται* cohaeret; additur jam id quod ex priore sententia sequitur eodem modo atque Rom. VI, 11. 12. De toto loco cfr. B a u r l. l. p. 235: „*Wer leidet und dadurch mit der Sünde bricht, ertödtet also seine σάρξ, als den Sitz der ἁμαρτία, auf dieselbe Weise (?), wie bei Christus die Leiden die Ertödtung der σάρξ war.*“ — „*Die unmotivirten Sätze sind durch paulinische Anschauung des Todes Christi zu ergänzen.*“ „*Petrus setzt an die Stelle der dogmatischen Idee der Lebensgemeinschaft mit Christus den sittlichen Begriff der Nachfolge Christi.*“ Hofmann l. l. p. 326: „*Es vergleicht sich dem ebenfalls allgemeinen Satze Röm. VI, 7 sq. — — und besagt eben so wenig als dieser, was derjenige gethan hat, welcher im Fleische gelitten hat, sondern vielmehr, was es mit demselben geworden — — dass er mit der Sünde zu Ende ist.*“ — — „*die wir bei Leibesleben der Sünde gestorben sind.*“

3. Cfr. instar omnium Steiger, De Wette-Brueckner et Huther ad h. l. Contra eos rectissime Wiesinger p. 275.

scripserit apostolus *ἵνα κριθέντες κατὰ ἀνθρώπους σαρκὶ ζῶσι κατὰ θεὸν πνεύματι*. Per grammaticae leges sane ferri potest ejusmodi participii cum verbo finito commutatio.[1] Difficilior tamen est haec interpretandi ratio, quam ut qui audirent epistolam recitari ad hunc modum verba apostoli accipere potuerint. Quisquis periodum hanc per se consideraverit, bipartitum illud enuntiatum finale cum verbo regente ita conjunctum putaverit, ut duplex sit evangelii praedicati finis, altera ex parte ut caro judicio tradatur, altera ut vita e spiritu renovata Deo dedicetur. Summa cum diligentia ne dicam elegantia verba ita sunt tam delecta quam collocata, ut singula singulis ad verbum responderent. Hoc locum non habet nisi ubi pari quasi pondere utantur membra et altera juxta alteram ponatur sententia, non autem priori subjungatur. Temporis enim diversitatem omnino nihil efficere, ultro omnes concesserint. Alterum quod evangelio praedicato efficitur praeterire[2] statuitur, quum alterum maneat neque unquam intermittatur. Utrumque autem finis notione contineri clarius etiam indicatur, quum antecedat illud *εἰς τοῦτο* quasi genus significans, cujus partes deinde particulis *μέν — δέ* accurate distinguantur. Amat ferme Petrus in binis membris ad hunc modum distinctis notiones exponere. Ita supra (I, 19. 20) *ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου — — προεγνωσμένον μὲν πρὸ καταβολῆς κόσμου, φανερωθέντος δὲ ἐπ' ἐσχάτου τῶν χρόνων* et II, 4: *πρὸς ὃν προσερχόμενοι λίθον ζῶντα, ὑπὸ ἀνθρώπων μὲν ἀποδεδοκιμασμένον, παρὰ δὲ θεῷ ἐκλεκτόν* cfr. IV, 14. Contra ex loco supra citato cognosci licet, eum malle subjunctam sententiam subjuncto etiam enuntiato proferre.[3] Nihil vero dubitationis videtur relinqui, ubi attendimus ad ea quae antecedunt membra bipartita: *θανατωθεὶς μὲν σαρκί, ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι* quorum ad similitudinem tam sententia nostra quam verba sunt conformata. Quod Christo acciderit idem ut jam in omnibus qui salutis ejus participes fieri velint efficiatur, finem esse evangelii ubicunque praedicetur, haec videtur sententia versus sexti quam postulat contextus. Rursus enim hoc loco offerri videmus illam quasi legem regni Christi per totam epistolam repetitam: nullam in Christo et per Christum vitam gloriamque esse nisi antecesserit carnis cruciatus et mors, quasi dixeris: per crucem ad lucem. Quem quidem ipsum evangelii de Christo praedicandi finem esse hoc loco diserte indicatur idque duplici effectu tam accurate distincto, ut nostrum locum non dubitemus summam dicere et quasi cacumen esse totius epistolae.[4]

---

1. Quid quod oratores amant ita loqui, maxime Isocrates cfr. Matthiae Gramm. p. 1486 sq. Bernhardy *wissenschaftliche Syntax* p. 486. Qui ex novo testamento afferri solent loci (Joh. XV, 16. Rom. IV, 17. Luc. X, 21. Mtth. V, 16) ii ad unum omnes alius sunt generis. Majore cum veritatis specie potuit in comparationem vocari Joh. IX, 39; sed ne hic quidem locus ita intelligendus est, ut posteriore tantum membro contineatur istud *κρίμα* Christi, sed priore simul, uti ipse De Wette recte perspexit locum „*beides als ein Gericht — d. h. eine Scheidung dargestellt.*" Luthardt: „*das Gericht als Resultat.*"

2. Non autem „praeterisse" uti De Wette vult. Cfr. quae recte opponuntur a Wiesingero p. 275. Winer Gramm. ed. VI p. 257 sq.

3. *Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον, ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν.*

4. Cui opinioni quam maxime convenit, quod quae sequuntur capite quarto (quinto enim filum orationis non continuat sed singula praecepta adjungit apostolus),

Quod vero hoc loco primum judicii notionem passioni mortique substitutam videmus, id explicatur quum ex iis quae supra dicta sunt (p. 48) tum e contextu hujus loci. Versus sextus cum argumenti vi adjungitur quinto, ubi de judicio a Christo mox habendo sermo est. Istud *εἰς τοῦτο γὰρ καί* clarissimo documento est, alterum quod sequatur *κριθῆναι* respicere ad *κρῖναι* antecedens, ita tamen ut simul significetur quae etiam in praedicatione evangelii contineatur judicandi vis valere eam non ad damnationem et mortem aeternam, sed ad procreandam novam in spiritu vitam, carne in perniciem dedita. Peracute Baur nuper statuit complendam esse apostoli sententiam hunc in modum: *ἵνα κριθῶσιν ὡς κατακρινόμενοι μὲν κατὰ ἀνθρώπους σαρκί, ζῶντες δὲ κατὰ θεὸν πνεύματι.*[1]

Deinde in comparationem vocandum est quod infra legitur: *ὅτι ὁ καιρὸς τοῦ ἄρξασθαι τὸ κρίμα ἀπὸ τοῦ οἴκου τοῦ θεοῦ* (IV, 17). Recte Huther explicat judicium illud non exspectandum demum, sed exerceri jam coeptum esse. Modum autem quo in fideles exerceatur interpretes uno fere ore sic describunt, ut *πύρωσις* illa (v. 12) i. e. adversariorum persecutiones sub judicii notione lateant.[2] Sic prorsus redit oratio ad ejusdem capitis primi et sexti versus sententiam. Judicium vero quoniam Deo ipsi ibi adscribitur, facile intelligitur quo jure nostro loco ab evangelio praedicato repetatur. Etenim per hoc vocamur et invitamur, ut suscipiamus officium illud proprie Christianum persequendi severo quodam judicio carnis cupiditates nobis insitas (II, 11). Quod quo melius efficiatur, immittit Deus ipse calamitates in nos (I, 6. 7. IV, 19.) utens quam maxime odio evangelii adversariorum. Pati autem propter evangelii fidem quasi sigillum est foederis cum Christo arctissimi.

Aptissime jam ad decimum septimum versum pariter atque hunc sextum comparatur quod Paulus dixit: *εἰ γὰρ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα· κρινόμενοι δὲ ὑπὸ κυρίου παιδευόμεθα, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν* (1 Cor. XI, 31 sq.); vel etiam illud: *πα-*

---

novi fere nihil addunt sed quae dicta jam sunt denuo et gravius etiam recolunt, summam denique totius epistolae tribus ultimis versibus (17—19) gravissime repetunt. Versu septimo persimili modo argumentationis filum abrumpitur subjuncta adhortatione, uti supra (III, 8) praeceptorum de officiis singulis series finitur adhortatione generali. Undecimo versu jam clausulam erat positurus, sed ut quid summi momenti esset maxime inculcaretur lectoribus perorationem quandam adjecit epistolae argumentum denuo paucis complectens v. 12—19.

1. Cfr. l. l. p. 219 not. 1: „*Was den Sinn der Stelle erschwert, ist die doppelte Bedeutung, in welcher κριθῶσι genommen werden muss. Es steht sowol allgemein für das Richten nach beiden Seiten hin und bezieht sich daher auf die beiden Sätze, als auch im Gegensatz zu ζῶσι, so dass es nur das Richten im schlimmen Sinne ist. Vollständig sollte es daher heissen: ἵνα κριθῶσι κ. τ. λ.*“ vide supra.

2. Calvin: „Haec, inquit, necessitas totam Dei ecclesiam manet, ut non tantum communibus hominum miseriis subjaceat, sed peculiariter et praecipue Dei manu castigetur: tanto igitur aequiore animo ferendae sunt pro Christo persecutiones.“ Steiger: „*Weil jetzt die Zeit da ist, da vorzüglich das Haus Gottes durch Leiden gerichtet werden muss — —.*“ De Wette: „*Zum Gerichte rechnet der Verf. die demselben vorhergehenden Verfolgungen der Christen (vgl. Mtth. XXIV, 9 sqq.), und zwar nicht blos wegen der Verbindung, sondern auch wegen der Verwandtschaft der Begriffe Gericht und Prüfung.*“ Huther: „*Das Weltgericht — in allmäliger Entwickelung — nimmt seinen Anfang bei den Gläubigen (Mtth. XXIV, 9 ff.), bei denen es in der Läuterungsgluth der Leiden (v. 12) besteht — —.*“ Cfr. Wiesinger p. 300 sq.

παραδοῦναι τὸν τοιοῦτον τῷ σατανᾷ εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός, ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ (1 Cor. V, 5).

Redeamus jam ad propositionem illam ex qua omnia reliqua fluxerunt, utrumque scilicet membrum enuntiati finalis pendere e verbo *εὐηγγελίσθη* tanquam e causa efficiente. Res jam in eo est ut a pluribus concedatur, adeoque ab iis qui statuant inter mortuos evangelium praedicatum esse. Ita nuper Schmid et Gueder, novissime Wiesinger, ante Grimm, Koenig alii, singuli sane singulis diversissimo modo repugnantes, statuunt membra ista duo aequaliter fini illi, in quem evangelium praedicatum sit, subjungi. Gueder[1] sic argumentatur: „*So gewiss die Lebenden und die Todten gerichtet werden sollen, so gewiss muss die Erläuterung von einem κρίνεσθαι sprechen, dem sich die Todten nach dem bereits eingetretenen Zustande des Abgeschiedenseins zu unterziehen haben, so dass, wollen wir nicht alle Sicherheit bei Seite setzen und zwingen uns nicht doch ganz andre unüberwindliche Hindernisse zu diesem Aeussersten, wir nothwendig das κρίνεσθαι σαρκί nicht in den Hintergrund drängen und als blos untergeordnetes Moment ansehen dürfen, sondern es mit als für sich bestehenden Zweck des Evangelisirens neben das ζῶσι κτλ. hinstellen müssen* — — —“.

Alii aliis utuntur argumentis; omnes vero illi hac difficultate implicantur, ut in iis qui mortui jam sint judicium statuant exercitum, quod carne sentiri verba certe Petri docent. Hanc difficultatem expedire student diversissimis modis, sed nemo omnium non vi quadam illata vel singulis notionibus vel verborum structurae.[2] Gueder solus ita procedens, uti leges grammaticae et logicae postulant, ausus est mortuis carnem vindicare, qua ut judicarentur animae evangelium post mortem annuntiatum sit. „*So — kann auch von einer σάρξ des Abgeschiednen gesprochen werden und sie wäre hier das Facit der zeiträumlichen, von Christo nicht bestimmten Gesammtbethätigung eines einzelnen Individuums für die qualitative Beschaffenheit seines Geistes.*“ (l. l.) Facile contenditur tale quid, difficile probatur. Caeterum vel demonstratione supersedit Gueder, ne unum quidem locum afferens quo probetur *σάρξ* ex usu novi testamenti in mortuis locum

1. l. l. p. 55.

2. Grimm *Theol. Stud. u. Krit. 1835 Heft 3* p. 629 sq.: „*κρίνεσθαι: beurtheilt werden, zur Untersuchung kommen (?), ohne den Nebenbegriff — der Bestrafung und Verdammung. — Es wird also über das irdische Leben (?) der Abgeschiednen zwar ein κρίμα ergehen, aber — — zur Busse.*“ Conferas contra eum Koenig l. l. p. 34: „*Es scheint des Apostels Meinung die zu sein, dass in Folge des irdischen Sündenlebens ihr Auferstehungsleib (?) nicht eine Vollkommenheit besitzen wird, wie — bei hienieden schon Geheiligten.*“ Schmid *bibl. Theol. Stuttg. 1853 II* p. 183: „*Wir werden das Gericht (κριθῶσι σαρκί) in seinem vollen Begriffe nehmen müssen, wie es im irdischen Leben anfängt, im Tode sich steigert und zum völligen Ausschlag kommt im allgemeinen Gericht.*“ Wiesinger: „*Der Todeszustand als fortgehendes Gericht nach dem Fleische betrachtet*“ — „*die Heilsverkündigung geschehen, um ihre Lage so zu gestalten, dass sie einerseits zwar dem Fleische nach gerichtet werden*“ — — —. Sed aoristo *κριθῶσιν* significatur actus, qui consecutus est evangelii praedicationem, non „status quidam“ qui aliunde effectus evangelio praedicato quasi confirmetur („*so zu gestalten ihre Lage*“*!*). Hoc infertur. Simili labe Schmidii sententia laborat. Weiss hac quaestione solvenda supersedit.

habere. Σάρξ sive fluxam et fragilem hominis qua est in hac vita naturam (I, 24. III, 18) denotat sive peccati notionem simul continet, usquequaque abjudicanda est ab homine corporis terra concreti exsorte, quippe quo solo hujus caduci et contaminati mundi fruatur commercio.[1] Hoc quod novi testamenti loci testantur sexcenti, maxime Petri in hac epistola loquendi usus potuit docere.[2]

Plurimum tamen debemus viro illi docto, quod quam postulant verba structurae rationem eam non negavit propter sententiae difficultatem inde nascentem. Profecto haec est periodi nostrae ratio, ut aoristus alter alterum sequens (*εὐηγγελίσθη-κριθῶσιν*) significet, quid, ubi evangelium non recusatum fuerit, praedicationem continuo secutum sit, *σαρκί* autem addito judicium restringatur non ad aliquid quod aliquando habuerint vel adeo habituri sint qui judicentur, sed quo tunc praediti erant quum et praedicabatur evangelium et exercebatur judicium. Jam sane nihil relinquitur, nisi ut aut mortuis carnem vindicandam esse invito Ni. Ti. usu concedamus, aut evangelium praedicatum esse istis hominibus quum carnem etiamtunc haberent i. e. antequam vita essent egressi statuamus.[3] Huic opinioni suffragatur et sententiae perspicuitas et quod maximi momenti est aequabilis doctrinae conformatio, nam per totam scripturam sacram praeter hunc locum obscuriorem quidem, uti omnes concedunt,[4] inauditum prorsus est dogma, mortuorum animis evangelium esse praedicatum. Proinde ea verba, quae repugnare sententiae nostrae interpretes plerique contendunt, accuratius exploremus. Juvat autem auctoritati consensus illius paene unanimi opponere statim ab initio testimonium viri docti, quem hac certe in re partibus studere magis quam veritati nemo contenderit, Bauri Tubingensis, qui nuper (l. l.) similem atque nos de mortuis illis propositurі sumus explicationem peracute Petro vindicavit.[5]

Jam accedamus ad versum quintum ejusque cum sexto nexum. Versu quinto adversariis, ne ultra probris et maledictis vexarent sanctam Christianorum vitam, annuntiatur judicium a Christo redituro imminens. Quem nexum qui consideraverit nihil profecto minus ex-

---

1. Hinc supra *ἐν σαρκί.*

2. Cfr. quae ab Engelhardto rectissime contra Guederum disputantur l. l. p. 277 sq.

3. Lutherus (Commentar. ad Petri epp. ao. 1523 Opp. IX p. 799 sqq.) et ipse ex hoc membro finali judicandam censet sententiam: „*Die Worte sagen klärlich, dass nicht allein den Lebendigen das Evangelium gepredigt sey, sondern auch den Todten; und er setzt doch dazu, dass sie gerichtet werden nach dem Menschen am Fleische. Nun haben sie ja nicht Fleisch, darum kann es nicht verstanden werden denn von den Lebendigen. Es ist eine wunderliche Rede, was es auch ist, ob der Text ganz zu uns kommen oder ob etwas herausgefallen sei, weiss ich nicht.*" Cfr. ib. p. 800: „*Ich kann den Verstand nicht annehmen, dass den Todten und Verstorbnen das Evangelium soll gepredigt sein; es wäre denn dass St. Peter das meyne, dass das Evangelium frey ausgangen und überall erschollen sey (Col. I, 23) und weder vor Todten noch Lebendigen, weder vor den Engeln noch vor den Teufeln verborgen.*"

4. Quantum quidem scio Delitzsch solus locos nostros 1 Petr. III, 18 sq. IV, 6 solis luce clariores („*sonnenklar*") esse judicavit (*Bibl. Psych.*. p. 359).

5. Accuratius etiam nuperrime Engelhardt hanc sententiam defendit (*Zeitschrift für Prot. u. Kirche. Erlangen 1856 XXXI, 4. 5* p. 227 sqq.). Cfr. Hofmanni interpretationem (*Schriftbeweis II, 1* p. 339 sqq.).

spectaverit quam continuo et argumenti quidem loco sequi asseverationem de clementiae divinae amplitudine, mortuos quoque complectentis. Quae sententiarum repugnantia etiam augetur explicatione eorum, qui veluti De Wette sub istorum mortuorum notione latere volunt primo loco inobedientes illos Noachi aequales, quorum ante jam facta sit mentio. Unde mira quaedam evadit sententiarum consecutio. Adversarii reddent rationem coram eo, qui promtus est et paratus ad habendum judicium de vivis et mortuis; nam hunc in finem etiam mortuis infidelibus scilicet istis Noachi aequalibus evangelium praedicatum est, ut judicium quidem illud diluvii perpessi judicium extremum vitarent. Hanc quam bene sensisse videtur De Wette repugnantiam expedire studet ita, ut dicat: *„Und indem er so auf das vorhin vor Augen gestellte Erlösungswerk Christi zurückblickt und zugleich des Gerichtes über die Todten erwähnt (!), bemerkt er, dass auch jene Todten aus Noah's Zeit ein Gericht bestanden haben" (!!).* Quae nihili esse nemo non videt. Caeterum quominus versu sexto ad ea quae de Christo apud inferos praedicante supra (III, 19) dicta sint putemus ablegari, obstat *εὐηγγελίσθη* mere passive dictum. Necessario propter antecedentis sententiae vim etiam quae sequuntur Christo ipsi debebant tribui si ad illum locum valeret respectus (cfr. Baur l. l. p. 217. Engelhardt l. l. p. 280 sq.). Immo eundem in modum hoc loco loquitur apostolus atque supra de evangelistarum munere: *ἃ νῦν ἀνηγγέλη ὑμῖν διὰ τῶν εὐαγγελισαμένων ὑμᾶς* (I, 12) et *τοῦτό ἐστι τὸ ῥῆμα τὸ εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς.* Quem affert Wiesinger locum Mtth. XI, 5 (p. 274) is profecto nihil ad haec. Qui vero Petri verba I, 11 et 12 accurate cum nostris contulerit, eum fugere non poterit eandem hic et illic generalem occurrere sententiam: evangelium, quod praedicatum sit inter lectores, eam habere summam a prophetis scilicet praesignificatam, gloriam et vitam in Christo spiritualem passionis in carne via appetendam esse.

Hoc vero rectissime monetur, nomen *νεκροί* v. 6 quum articulo careat, non omnes omnino mortuos significari.[1] Scimus quidem sine articulo poni hoc nomen etiam ubi desiderari videtur; sed ubi universitas mortuorum significanda est articulus deesse non potest.[2] Etiam in versu quinto per se nil nisi notio mortuorum inest, nec indicatur qui quotve illi mortui sint; sed quum opponatur altera notio *ζῶντες* usu quodam solemni factum est ut omnium omnino animarum judex intelligeretur Christus. Nonnunquam recurrit eadem locutio. Sic 2 Tim. IV, 1. Act. X, 42 cfr. Rom. XIV, 9. Inde jam hoc apparere videtur, universitas judicii ubi doceatur per se nihil explicationis desiderari. Certe aliis locis ejusmodi de mortuis additamentum aptius adjungebatur ubi dogmatis instar afferebatur sententia (Act. X, 42), quam ubi confirmandae tantum comminationi contra adversarios, lectorum autem consolationi inserviebat notio uti nostro loco. Quodsi Steiger, Gueder, Huther alii volunt, versu sexto judicii universitatem ad praedicationis evangelii amplitudinem revocari, et ambitum notionis *νεκροί* justo amplius extendunt et alium prorsus versui sexto substituunt finem atque

---

1. De Wette, et contra Hutherum Brueckner, nuper Wiesinger.

2 Winer Gramm. p. 112 ed. VI: *„νεκροί Todte, οἱ νεκροί aber die Todten als bestimmt gedachte Gesammtheit."*

argumentum. Rectissime opponitur ab Engelhardto[1] ex illorum mente ejusmodi quid sequi debuisse: „*damit sie doch wüssten, was für eine Zukunft ihrer warte, und was sie zu thun hätten,*“ scil. si judicium vellent vitare. Omnis lis inde nata esse videtur quod ad apostoli in his versibus consilium eorumque conjunctionem minus attenditur a viris doctis quam ad istud *νεκροί* versu sexto repetitum, quod per se aperte diverso modo intelligi licet. Gueder jam ingenue confessus est, hanc vocem per se non impedire quominus de iis accipiatur, qui vixerint inter evangelii per Christum praedicati initia et judicium futurum. Dummodo iidem hoc versu *νεκροί* appellentur quos quinto significet apostolus hoc nomine et inter eos numeret, qui re vera mortui sint.[2] Rectissime. Sed debebat vir doctus eo magis attendere ad ea quae statim praedicarentur in iis efficienda *ἵνα σαρκὶ κριθῶσι κτλ.* Quale quidem judicium in carne experiendum profecto in viventes quadrat, non item in mortuos. Quod Guederi sententiae impedimentum multo majoris momenti est, quam quae contra nostram affert.

Sed modo hac de re ante omnia conveniat, *νεκροί* illud non posse quidem non mortuos significare eodem sensu quo ante usurpatum sit vocabulum, minime vero inde sequi, ut mortui jam fuerint illi cum evangelio imbuerentur, qua sententia nescio quid omnino possit a scriptura sacra magis alienum proferri. Eo jam quaestio revocanda est, quo jure iidem possint dici qui versu sexto atque qui quinto appellentur *νεκροί.* Aperte enim, qui fuerint mortui ex alio temporis puncto solet judicari a viris doctis versu quinto, ex alio versu sexto. Distinguunt inter Christi redituri tempus et Petri scribentis (*εὐηγγελίσθη*), sed invita uti videtur Petri mente. Diserte quidem hoc versu non pronuntiatur, statim hoc ipso tempore Christum rediturum esse. Sed quae sequuntur continuo (v. 7) *πάντων δὲ τὸ τέλος ἤγγικε* et v. 17 *ὁ καιρὸς τοῦ ἄρξασθαι τὸ κρίμα* (*πάρεστι*) satis clare ostendunt, Petrum quum hoc loco Christum paratum et promtum ad judicium diceret, suo ipsius tempore exspectasse reditum Christi.[3] Jam intelligitur, cur distinguat inter hoc suum tempus atque illud ex quo evangelium de Christo jam sit praedicatum. Judicio enim appropinquante finitur evangelii praedicatio; ast praedicatum est (*εὐηγγελίσθη* cfr. I, 12. 25). Hoc vult: Christus quum redierit, ex eorum numero ad quos scribitur non fore qui non audierint evangelium eoque fide recepto ad vitae per Christum recuperatae consortium potuerint pervenire. Etiam qui ex his mortui essent ante Christi redi-

---

1. l. l. p. 278.

2. „*Ohne Widerrede sind nämlich die νεκροί unsrer Stelle dieselben mit denen v. 5 d. i. wirklich Todte. Jedoch auch jetzt bieten sich noch zwei Möglichkeiten: man denkt entweder an die Gesammtheit (?) der bisher Gestorbnen, oder aber nur an die vom Auftreten Jesu bis zum Eintritt des Gerichts Verstorbnen. Nach der letztern Auffassung wäre der Schauplatz der Verkündigung die Erde, ihre Träger theils noch Jesus selbst theils die Apostel und ihre Nachfolger.*“ l. l. p. 52. Cur tamen ipse hanc sententiam rejiceret, istud *νεκροί* certe non movit.

3. Hoc recte monet Wiesinger contra Hofmanni sententiam p. 271: „*Dass der Verf. auf die Voraussetzung ihres Todes v. 6 so ausdrücklich eingehen sollte, stimmt nicht gut zu dem ἑτοίμως ἔχειν, demzufolge das Gericht jeden Augenblick eintreten kann, und nicht gut zu dem folgenden πάντων δὲ τὸ τέλος ἤγγικε.*“

tum si, quid vellet evangelium, spectavissent, in morte quidem passos esse illud de carne judicium sed nullum alium in finem nisi ut Christo similes ad vitam spiritualem et divinam redirent. Hanc vero regiam Christi ipsius viam in evangelio nunc et ante monstratam qui spernant adeoque propter eam maledicant Christianis, eo ipso tempore quum Christus redeat vivus e mortuis judicio obnoxios futuros esse.

Versu quinto aperte non id agitur, ut universalis judicii per Christum habendi ambitus doceatur omnino. Adversariis minatur apostolus judicium qui evangelio fidem denegent, quod jam praedicetur cujusque fructus in Christianis bene conspicui oculis ipsorum obversentur. Judicium autem hoc a Christo exspectandum esse, quem e mortuis reducem et sedentem ad patris dexteram summa potestate praeditum ante dixerit. Cui quum tribuat de mortuis aeque ac de vivis judicium, haec duo judicandorum genera distinguere videtur non tam propter eos ad quos quam ob eum de quo scribat. Sic enim videtur procedere argumentatio: Christus e mortuis redux et ad summam rerum elatus, inter vivos autem denuo appariturus judicis potestate praeditus, hanc suam potestatem in mortuos aeque ac vivos exhibebit.[1] Judicii vero potestas restringitur ad adversarios (cfr. II, 8). Jam errare videtur Hofmannus quum quae versu sexto contineantur etiam in adversariorum judicium confirmandum dicta esse censet, quippe qui ne mortui quidem illud effugiant.[2] Primum vix credendum est in „morte persecutorum" unquam quemquam offendisse Christianum, quasi haec non esset poena neque animae perfunctorum illorum judicii extremi poenae tenerentur obnoxiae. Christianorum mortes postquam Christus e morte resurrexerit sane potuerunt offendere (1 Thess. IV, 13 sqq.). Deinde obstat, quod quem in finem evangelium praedicatum sit iis, ita exprimitur, ut potius salutis notio emineat neque certe ullo modo significetur, hunc istos finem propter incredulitatem non esse consecutos.[3] Hinc Hensler, Mueller[4] alii, nuper Engelhardt (l. l.) statuerunt ad fideles potius qui mortui jam essent respicere versum sextum. Engelhardt putat ex illa offensione in fidelium morte praematura, quae uti apud Thessalonicenses ita inter hos valuerit, explicandum esse hoc additamentum. Sed gravior videtur sententia, atque cum totius epistolae summa arctius cohaerens, quam ut statuamus apostolum his verbis lectores a singulari quadam sollicitudine liberare voluisse, cujus ne vestigium quidem in ullo epistolae loco inveniatur. Rectius Mueller ad nexum quo cum versu primo et secundo cohaereat noster attendi jubet. Aperte enim in versu quarto jam quaedam a proposita oratione digressio conspicua est, quae quinto versu eatenus continuatur, quatenus de judicio imminente adversariis agitur. Sententia vero versuum 1 et 2 per se sane videtur absoluta, sed versu 3 non solum pergit apostolus in eadem exponenda, immo in sexto versu ad eandem fere rationem atque in secundo opponitur vita, quae sit ad Dei voluntatem, hominum vivendi rationi judicio obnoxiae; hoc tantum discrimine ut infra, quia

1. Cfr. Rom. XIV, 9.
2. l. l. p. 341.
3. Confer quae nuper a Wiesingero rectissime opponuntur Hofmanni sententiae p. 271.
4. *Lehre von der Sünde II* p. 397.

de mortuis sermo est, vita terrestris omnino deposita et divina quae spiritu agatur vita juxta ponantur. Atqui nisi hoc ipsum accesserit intermissa videatur quam inchoat apostolus conclusionem versu 1 (*οὖν*). In antecedentibus enim non solum de morte Christi expiatoria sed de ejusdem statu gloriae agebatur, quam mortem perpessus consecutus esset. Capite tertio exeunte cumulantur gloriae illius testimonia. Jam factum esse in sequentibus videmus quod desideretur initio capitis quarti. Gloriae enim illius et potestatis Christi versu quinto et sexto ita mentio fit ut, quomodo qui evangelio credant illius gloriae participes fiant et ipsi, non taceatur. Ad eum, quem Christus obtinuit potestatis statum, respicit significatio illa *ὁ ἑτοίμως ἔχων κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς* uti supra ostendimus. His ipsis verbis digressio illa de adversariis absolvitur ita ut redeat oratio ad sententiam qua caput tertium finitur; statim autem adjungitur (v. 6) quae omnino fuerit argumentationis summa versu primo et secundo jam illata et nunc ad eos qui mortui sint restricta.

Nunc clarius etiam apparebit unde mortuorum fiat mentio. Christo enim redeunte iis gloriam et salutem pro judicio competere, qui evangelio Petri obedientes atque in hac quam ante (v. 2) descripserit vita permanentes a Christo reperiantur vivi etiamtunc, non minus certum est per se quam imminere adversariis judicium qui tales reperiantur quales ante (v. 4) dixerit. Ipsum hoc *ἑτοίμως ἔχειν* quod de Christo nunc praedicatur adversariorum judice Christianis debebat in mentem revocare spem quae supra proposita erat: *σωτηρίας ἑτοίμης ἀποκαλυφθῆναι* (I, 5). Inter vivos quidem apparebit haec salus. Contra mortui qui fuerant e Christianorum numero hac salute non solum orbati videbantur immo ipsi judicio quodam jam abrepti. Quid quod adversarii quum omnino sanctam Christianorum vitam ludibrio haberent, quam maxime insultaverint hanc quam dicerent Christianorum dementiam, quum viderent eos, qui terrestris vitae voluptates carnisque libidines abjicerent propter spem Christi proxime redituri, denique eodem quo reliquos modo omnes morte abreptos. Horum ante omnia sanctitas vindicanda sorsque quae videretur tristissima[1] quam beata tutaque esset demonstrandum erat, quum ageretur de Christianis ab adversariorum conviciis per Christum jam redeuntem liberandis. Id quod in eum modum fit, ut concedatur judicii nonnihil inesse in morte (*κριθῶσι μὲν κατὰ ἀνθρώπους σαρκί*). Qui vero hoc subierint libenter obedientes evangelio et fide receptum servantes, in iis vim et potestatem evangelii eam se praebere ut hac ipsa via vitae illius spiritualis et divinae a Christo primum recuperatae fiant participes carne sola in mortis judicio pessumdata. Quid inde sequeretur de iis qui mortui essent quum evangelii vim in se non admisissent, non erat quod diceret. Sententia igitur illa principalis totius epistolae: *παθήματα καὶ μετὰ ταῦτα δόξαι* — quam recte se habeat, nunc in iis etiam apparet, quorum sors quam maxime illi repugnare videatur. Hoc autem nescio quo loco aptius demonstretur, quam ubi Christi in mortuos aeque ac vivos po-

1. 1 Cor. XV, 19: *εἰ ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ἠλπικότες ἐσμὲν ἐν Χριστῷ μόνον, ἐλεεινότεροι πάντων ἀνθρώπων ἐσμέν.* v. 30. 32: *τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν; — — τί μοι τὸ ὄφελος; εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, „φάγωμεν καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν.“*

testatis mentio fit spesque proponitur fore ut omnia adversariorum convicia per Christum, quando cum hac potestate appariturus sit, tandem confutentur.

Facile etiam apparet, hac ratione ipsam mortis notionem quam maxime eminere in voce *νεκροί*. Non enim attenuamus notionem ita, ut nihil contineat nisi nunc eos non vivere qui aliquando vixerint; sed hos intelligi volumus, qui quum in propinquo Christi reditu inter vivos exspectarentur, mortem tamen passi essent. Neque diserte distinguit apostolus inter fideles et fidelium adversarios. Quid vero evangelii praedicatio omnino efficere voluisset, non poterat h. l. dici nisi ita ut adversariorum convicia repelleret, Christianorum sortem laudaret. Si ad Engelhardti rationem de mortuis e fidelium numero loqui voluisset apostolus, non poterat non adjicere vel *ὑμῶν* vel *ἐν Χριστῷ* vel simile. Sed tale quid in proposita explicatione non desideratur. Nam non mortuorum singuli singulis opponuntur, sed mortui speciatim commemorantur quatenus morte omnino turbatum videtur illud Christi redeuntis judicium inter adversarios et fideles discernens. Hanc ob causam potuit etiam *νεκροῖς* retineri quum ex nostra explicatione potius exspectaretur *θανοῦσιν*. Arctissime enim cohaeret cum sententia antecedente, Christi judicis potestatem valere in mortuos aeque atque vivos. Atque sic scribentis ratio informanda est animo, quasi post haec *κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς* sic perrexerit: *ὅτι νεκροὺς λέγω, καὶ τούτοις εὐηγγελίσθη εἰς τοῦτο ἵνα κτλ.* — In mortuis etiam, vel in iis quam maxime apparebit, in quantum vitae damnum lex a Christo in evangelio proposita spernatur, quanto cum fructu observetur; extremo judicio res denique decernetur. Quanto gravior sic efficitur sententia, qua finitur quasi argumentatio, quam si additamenti cujusdam locum tenere existimatur versus sextus, hanc vel illam singularem sollicitudinem dispellens, huic vel illi notioni nescio quam adjiciens annotationem! Quam mirum denique fecisset apostolus, si novum et inauditum dogma idemque gravissimi momenti adjecisset sic in quadam annotatione, quo loci minime desideratur, ubi sententiae per se clarissimae inserviat quis dixerit explicandae quum ipsum explicatione egeat quam maxime. Omnes vero difficultates facile expediuntur, dummodo in verbis his explicandis attendamus tam ad ea quae proxime leguntur quam ad illam quae per totam epistolam obtinet sententiam summam ac principalem.

Christianorum animis hac de re confirmatis licebat apostolo aptissime finem facere argumentationi iterata tantum admonitione, ut quidquid paterentur ab adversariis in sancta perseverarent vita et fide in Christum, et spe futurae gloriae fortiter servata.

IV.

DOGMATICA PARS.

Dogma de Christi cum inferis commercio quum iis quae adhuc dicta sunt priori illi Petrinae epistolae loco eique soli vindicasse nobis videamur, restat quaestio a verborum quidem interpretatione aliena, verum gravissima ad Petri de descensu Christi sententiam omni ex parte intelligendam et illustrandam. Quaeritur quid sibi velit ille Christi descensus ad antiquum Noachitarum genus restringendus; nam ad alios eum pertinuisse ne vestigium quidem in hoc aliove Ni. Ti. loco reperitur. Neque expeditur quaestio haec difficillima ita ut statuamus propter loci rationem commemorari duntaxat illud infidelium genus reliquis silentio praetermissis (cf. supra p. 27 sqq.); immo verba apostoli cogunt, ut ad hos solos in singulari carceris statu retentos Christum descendisse cogitemus. Sed sane totius loci interpretatio num recta sit summo cum jure ambigetur, donec probatum erit Christi ad genus illud diluvio peremptum descensionem per se spectatam habere justam in dogmatis Christianis rationem.

Ad solvendam hanc quaestionem haud parum conducet ablegasse primum ad comparationem, quae ut in aliis Ni. Ti. locis ab aliis, sic a Petro in altera epistola instituta est inter diluvii et extremi judicii rationem et aetatem. Opponuntur ibi (III, 6. 7) antiquus ille et qui nunc est mundus tanquam prorsus diversi, alter pessumdatus aquae vi, incendio delendus alter,[1] ex quo facile concludas, item diversam in alterius utrius mundi cives obtinere judicii rationem. Absolutum confectumque videtur illud de antiquo orbe judicium. Qui perierunt in diluvio nullam reliquerunt progeniem sui similem; exstirpata radicitus omni illa perdita gente novum quasi rerum principium constituitur alterque Adamus, novi generis auctor exstitit Noachus. Quotquot autem ex genere antiquo pernicie fuerunt obnoxii, vinculis carceris inferni tenentur (II, 5. 9. 1 Ep. III, 19).

Contra quod Judaeorum gens passa est in Hierosolymorum expugnatione judicium, id quod saepius etiam comparatur cum extremo, continuatur etiamnunc in hoc mundo. Quae enim superest illius gentis progenies obstricta tenetur supplicio divino atque ex ejusdem judicii Hierosolymis olim immissi sententia tradita est quibusdam quasi vinculis obdurationis divinitus injunctae. Habes simile quiddam carceris illius inferni, habes spiritualia quasi quaedam vincula, in quibus judicii antiquitus exhibiti agnoscas continuationem. Sed qui tenentur his obdurationis vinculis quum vivant inter vivos adeoque evangelium audiant inter Christianos, facile intelligitur et quo jure adjudicanda iis sit quam

1. „— *ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο. Οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ - τεθησαυρισμένοι εἰσὶ πυρί — —.*“

ab inferne coercitis abjudicavimus conversionis copia et cur necessitas sententiaque judicii extremi, quippe in quo apud Christum judicem Christiana maxime res decernatur, in eos magis cadere videatur quam in antiquum illud hominum genus diluvio abreptum.

Ac sane universum genus hominum adeoque angelorum judicio extremo tenetur obligatum obliganturque ut diserte testatum legimus (2 Petr. II, 5. 9) Noachi quoque aequales; sed diversa videtur obligationis ratio in iis qui huic mundo, qui servatur ad incendium diei extremi, non adscribuntur (ibid. III, 6), quorum ne vestigia quidem nec ulla vitiorum semina in eo quod post diluvium vixit genere reperiuntur. Stare videtur de his judicis sententia, nullo modo mutanda per mundi tempora quae diluvium secuta sunt. Quidni igitur ante hujus mundi consummationem apparuerit inter eos Christus ad judicium olim immissum statumque quo tenerentur sua auctoritate sanciendum. Quoniam mundi judicium fuit etiam illud diluvii, postulatur fere ut Christi quippe judicis mundi auctoritate quondam sancitum appareat.

Jam resurrectionem quidem carnis exspectant illi cum reliquis hominum generibus, exspectant a judicio extremo criminis commissi coram omnibus exprobrationem, supplicii denique complementum: Christi vero judicis apparitio quae reliquis sub finem hujus mundi continget, illis quum descendit accidisse videtur. Regnum enim Christi quando denique in mundo qui nunc est constituatur quid curant isti, alius mundi cives. Ubi apud inferos et in coelis apparuit constitutum, illis erat rex appellandus et judex Christus. Atqui hoc ipsum tempus regni Christi apud inferos non minus quam apud coelestes constituendi videtur Petrus significare, quum gloriam a Christo post mortem acquisitam manifestari dicat duplici illa profectione in carcerem et in coelum subjectis exinde angelis eorumque regno et imperio.[1] Qui igitur tandem de coelo descendet judex, quum quae huic mundo destinata sunt ex Dei benignitate salutis tempora praeterlapsa fuerint, idem ut primum judicis potestatem una cum vitae spiritualis vi et gloria nactus est (1 ep. III, 19. 22. cf. II, 7.) ad inferos descendit judex appariturus inter antiqui mundi cives, qui remoti ab his quae mundo alteri etiamtunc affulgebant salutis tempora in carcere luerent contemptum benignitatis divinae clementissime ac diutissime indulgentis.

Ex singulari illius gentis judicio suppliciique statu ad peculiare quoddam judicis cum illis commercium conclusionem fieri posse, nescio quo quis jure negaverit. Sed tota res est altius repetenda et ante omnia inquirendum, quonam commisso scelere illud hominum genus judicium maxime singulare et gravissimum provocaverint. Nam tum demum quum de sceleris istius natura quantum per sacrae scripturae testimonia licet exploratum nobis erit, rectius et liquidius poterimus de Christi cum genere illo in carcere commercio judicare. De singulari autem scelere ut cogitemus non id solum facit quod Christum e mortuis redivivum cum his peculiariter egisse apud Petrum legimus, sed quod ipsum diluvii judicium quale quantumque fuerit ante omnium paene oculos mentesque positum est. Etenim mirum videri possit, quod

---

1. „— *πορευθεὶς εἰς οὐρανόν, ὑποταγέντων αὐτῷ ἀγγέλων καὶ ἐξουσιῶν καὶ δυνάμεων.*“ 1 Ep. III, 22.

in prius hominum genus horribili adeo poena invectus sit Deus, quantam quidem ipse ait (1 Mos. VIII, 21. IX, 11) nunquam ultra se humano generi esse impositurum, quantumvis quae fuisset ab initio naturae humanae ad vitia proclivitas eam mansuram idem eodem loco testetur (v. 21). Et profecto peccatorum vitiorumque moles atque pernicies tantum abest ut exinde decreverit inter homines, ut sub finem certe mundi ad summum adeo obstinationis et protervitatis cacumen progressurum sit genus humanum testante scriptura sacra.[1] Omnino obstinationis culpa non poterit non eo magis augeri, quo magis abundaverit gratiae et benignitatis divinae copia. Hinc potuit Sodomitarum culpa minor dici quam hominum Ezechielis prophetae aetate viventium (XVI, 49.) minusque severam in judicio extremo fore judicis sententiam in illos, quam in Capernaitas omnesque qui Christi aetate fidem denegarent et obsequium.[2] Nusquam vero tale quid de progenie illa diluvio abrepta scriptum legitur; immo dierum ultimorum pernicie gravissimae proponuntur exemplum. Quale igitur crimen oportet admisisse illos quorum pernicies tanto persequenda erat judicio, quippe quo immisso naturae quasi ordines suspenderentur deque integro essent constituendi (VIII, 22)! Neque plane omiserunt hoc scriptores sacri; sed qua sunt animi verecundia ac castitate, tecte tantum tremendum illud criminis mysterium significaverunt.

Quae Genesis capite sexto ineunte hac de re referuntur, in diversas sane partes explicata sunt estque ea difficilior et amplior disputatio, quam quae hoc loco absolvi possit.[3] Praesto est etiam Ni. Ti. locus, quem qui carnale illud angelorum cum hominibus commercium in sacra scriptura doceri negant frustra torquent.[4]

Legitur locus ille in Judae epistola inde a versu sexto: *ἀγγέλους*, inquit, *τοὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχήν, ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον, εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τετήρηκεν. ὡς Σόδομα καὶ Γόμοῤῥα καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις, τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον ἐκπορνεύσασαι καὶ ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας, πρόκεινται δεῖγμα κ. τ. λ.* In quibus quod scriptum est *ὅμοιον τούτοις*, id neque ad eos referre licet qui doctrinam falsam profiteantur inter eos ad quos scribit auctor, quibus quae dicenda sunt octavo demum versu applicantur; neque etiam ad Sodomitas et Gomorrhaeos, sed quod grammaticae[5] et logicae praecepta cogunt, ad ange-

1. Dan. VII. XI. XII. Mtth. XXIV, 9 sq. 15 al. 2 Thess. II, 3.

2. Mtth. X, 15. XI, 23 sq. Luc. X, 12.

3. Cfr. Tuch *Comm. z. Genesis* p. 154 sqq. Delitzsch *Die Genesis* ed. II p. 223 sqq. *Biblische Psychologie* p. 91. Kurtz *Geschichte des alten Bundes* ed. II. I p. 77 sq. et contra ea quae Keilius opposuit (Rudelbach-Guericke *Zeitschrift f. d. ges. Theol. XVI* p. 220 sqq.) Engelhardti dissertationem l. l. XVII p. 401 sq. et inprimis Hofmann *Schriftbeweis I* p. 374 sqq.

4. Nuperrime Keil l. l. XVII p. 21 sq.

5. Quem laudat Keilius qui ad Sodomitas refert testem Winerum (§. 47, 1, 6 p. 416 ed. V) is contra eum facit (p. 458 ed. sextae: „*Nur auf das Prädikat haben Collectiva eingewirkt*“); nam Luc. X, 13 alius generis est. Quod comparatur, in angelorum et Sodomitarum vicinorumque scelere conspicuum est maxime in verbis *ἐκπορνεύσασαι — ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας* quibus recipitur illud angelorum *ἀπολιπόντες τὸ ἴδιον οἰκητήριον*. Quae adjacerent oppida idem commisisse per se intelligitur; etenim in comparationem vocari nequeunt nisi quae

los quos modo commemoravit. Utrosque carnis voluptates sectantes ordinem divinitus institutum reliquisse septaque naturae magis etiam quam pudoris irrupisse significat apostolus hac instituta comparatione.

Hanc de angelis cum mulieribus hominum quondam mixtis eorùmque progenie immani famam atque opinionem hoc eodem tempore late pervulgatam fuisse quum inde concludatur, quod Judas epistolae auctor rem leviter tangens satisfecisse sibi videri potuit, tum certo scimus ex scriptis illius aevi quae dicuntur apocrypha vel pseudepigrapha nec minus e Philone, Josepho et ecclesiasticis scriptoribus prioris aevi.[1] Quorum maxime omnium liber ille Henochi pseudonymus eminet quum vetustate tum ea qua cum nonnullis Ni. Ti. libris conjunctus videtur necessitudine. Neque enim possumus non assentiri iis, qui Henochi librum propheticum magna quidem ex parte saeculo ante Christum scriptum esse censent.[2] Ac de singulis quidem libri partibus quoquo modo lis dirimetur, certe reliquum erit ex quo clare ac certo cognoscatur, quantum ista aetate Judaei illi de angelorum concubitu doctrinae tribuerint.

Judae autem epistolam arcto nexu cohaerere cum Henochi libro vix quisquam negaverit, quantumvis perversa sollicitudine de epistolae auctoritate quasi sic labefactata commotus. Nam praeterquam quod Judas hanc doctrinam attingit et ad notissimum illum libri locum (v. 14. 15) provocat, in singulis quoque magna est utriusque scripti similitudo. Sed quid hoc ad Petrum? Nimirum ad eosdem eadem fere scribunt et Judas in brevi sua et Petrus in altera epistola. In qua quum apostolus angelos propter crimen quoddam vinculis obstrictos in tartaro teneri doceat, iisdem fere verbis quae apud Judam leguntur[3], quis dubitaverit quin illa Judae verba, de quibus supra egimus, quasi commententur et exponant quid criminis angeli commiserint. Jam vero apud Petrum inter angelorum et Sodomitarum exempla quos a Juda docemur eundem ad modum peccasse interpositam videmus mentionem eorum qui in diluvii undis perierint ut maxime vicini angelis illis atque quod ex epistola priore discimus eodem modo quo illi carcere quodam inferno

---

eidem supplicio obnoxia eodem modo atque Sodoma et Gomorrha *πρόκεινται δεῖγμα*. Immo quid angeli derelicto coelesti ordine dein commiserint, et ut significetur accuratius desideratur et significari indicatur particula *ὡς* interposita. Quae comparatio quo jure maxime instituatur cognoscitur ex 1 Mos. XIX, 8.

1. Locos cumulavit Jac. Ode Commentar. de Angelis. Traj. ad Rhen. 1739 p. 323 sqq Cfr. maxime Josephum antiqu. I, 3, 1, Philonem de Gigantibus p. 263 sqq. ed. Mangey, Just. Mart. Apolog. I, 55 D. II, 44 B. ed. Otto I, p. 146. 294. (Cfr. Semisch Justin. II p. 377 sq.) Iren. adv. haer. IV, 36, 4 ed. Stieren p. 686. Clem. Al. Strom. V c. 1 § 10. Tertull. de hab. mul. c. II. de cultu foem. c. X. de virg. vel. c. VII. adv. Marc. V, 18 s. fin. Lact. div. inst. II c. 14. Al.

2. Ita Hoffmann, Luecke, Krieger, Ewald, Dillmann, novissime Koestlin (Baur et Zeller *Theol. Jahrbb.* XV, 2 et 3). Lis jam in eo est ut ab aliis pars posterior (maxime capp. 37—73 et 84—89) putetur aetate inferior esse (ao. 100—64 a. Chr. Ewald, Hoffmann, Krieger, Luecke, Koestlin), ab aliis (Dillmann) priora capita (maxime 6—16).

3. Petrus: *σειραῖς ζόφου ταρταρώσας παρέδωκεν εἰς κρίσιν τηρουμένους*. Judas: *εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τετήρηκεν*. Cfr. ad Judae locum Henochi XII, 4 (ex interpretatione Dillmanni): „*Die Wächter des Himmels, welche den hohen Himmel und die heilige ewige Stätte verlassen haben.*“ XV, 2: „— *warum habt ihr den hohen, heiligen, ewigen Himmel verlassen?*“

inclusi. Sed multo clarius etiam quam ex horum locorum comparatione apparet Petri hac de re cum Juda concordia ex utriusque mirum quanto concentu cum ratione qua in Henochi libro supplicii, quod patiantur angeli illi nec minus gens illa diluvio abrepta, natura et locus describitur. De Azazelo enim, qui angelos reliquos seduxit in Henochi libro legitur (X, 4 sq. Dillm. p. 5): *„Binde den Azazel an Händen und Füssen und lege ihn in die Finsterniss — — — bedecke ihn mit Finsterniss — —. Und am grossen Tage des Gerichts soll er in den Brand geworfen werden.“* ibid. 12: *„Binde sie fest — bis das letzte Gericht gehalten werden wird für alle Ewigkeit“;* cfr. XIII, 1. Paullo infra (14) sane hic ipse locus quo ille post judicium extremum sit dejiciendus appellatur custodia *„Gefängniss“.*[1] Sed loca illa, in quibus usque ad diem judicii servari dicuntur, et re ipsa significantur custodiae vicibus fungi et in aliis capitibus Henochi prioribus aeque ac posterioribus clare ita appellantur. Ita XVIII, 12: *„Diess ist der Ort, wo Himmel und Erde zu Ende sind, zu einem Gefängniss dienet dieser für die Sterne und für das Heer des Himmels — welche den Befehl Gottes übertreten haben vor ihrem Aufgang*[2] *— —. Und er (Gott) ward zornig über sie und band sie bis auf die Zeit, da ihre Schuld vollendet wird im Jahre des Geheimnisses.“* — XXI, 10: *„Dieser Ort ist das Gefängniss der Engel und hier werden sie gefangen gehalten bis in Ewigkeit.“* Conferas LXXXVIII c. 1: *„Und ich sahe einen, wie er jenen Stern, der zuerst vom Himmel herabgefallen war, fasste, ihm Hände und Füsse band und ihn in eine Tiefe legte — grausig und Finsterniss.“*[3] Cfr. etiam cap. VIII, 3.

Eodem in libro docemur, uti hominum peccantium in hoc mundo fuerit conditio diversa ita diversis in locis animas vinctas teneri. Alii enim hac in vita passi sunt vitiorum supplicium, alii non. De his XXII, 10: *„Ebenso ist eine solche (Abtheilung) für die Sünder geschaffen, wenn sie sterben und begraben werden auf der Erde, ohne dass das Gericht über sie gekommen ist bei ihren Lebzeiten. Hier werden ihre Seelen abgesondert in dieser grossen Pein, bis der grosse Tag des Gerichts und der Strafe und der Pein kommt für die Lästerer bis in Ewigkeit — und er sie hier bindet bis in Ewigkeit“,* — vel potius, uti Dillmann in annotationibus (p. 126) docet verti etiam posse *„und hier bewahrt man sie gebunden bis zum Gericht für die Ewigkeit.“* Nam ita statim pergit de alteris: *„Und wenn es vor der Ewigkeit war* (scilicet si judicium quoddam passi sunt ante extremum, cf. Dillm. adnotatt. p. 127) *dann ist diese* (alia eaque tertia) *Abtheilung gemacht für die Seelen derer, welche klagen und Kunde geben über Untergang, da sie getödtet wurden in den Tagen der Sünder: also ist es geschaffen für die Seelen der Menschen, die nicht gerecht waren, sondern Sünder, vollendet in der Schuld: sie werden bei den Schuldigen sein, ihnen gleich; aber ihre Seelen werden nicht getödtet*

---

1. *„In jenen Tagen wird man sie abführen in den feurigen Abgrund; in der Qual und im Gefängniss werden sie eingeschlossen werden für alle Ewigkeit.“*

2. Cfr. Jud. v. 13: *ἀστέρες πλανῆται οἷς ὁ ζόφος τοῦ σκότους εἰς τὸν αἰῶνα τετήρηται.*

3. *„σειραῖς ζόφου ταρταρώσας“* 2 Petr. II, 4.

werden am Tage des Gerichts, noch herausgenommen werden von hier." Hoc vult: novum judicium extremo die non patientur, sed in illo ubi sunt carcere tenebuntur in aeternum (cfr. l. l. p. 127). Qui locus mirum quantum lucis affundit nostro, scilicet quum inde patescat, quam ob causam singulare quoddam in carcere illo per Christum habitum sit judicium de animis eorum, qui in diluvio perierint.

Judicium de iis factum qui angelorum quodam quasi concubitu inquinati sint, sive de mulieribus cum illis mixtis sive de liberis ex stupro immani procreatis, quorum tria numerantur saecula (VI, 2 apud Syncellum cf. Dillm. p. 82), tam ex his concluditur quae modo attulimus, quam ex angelorum poena. Ac primum quidem protervitas gentis illius, cui immissum est diluvium, omnino derivatur ex illo angelorum crimine (cfr. c. VIII et c. LXXXV—LXXXIX et LXXVIII, 2 cum X, 9). Hinc denique seductor ille angelorum poenam dabit eorum omnium, quae ab hac gente commissa sunt (X, 8). Sed homines tamen, quiqui hac culpa inquinati essent, maxime mulieres quae angelos in se admisissent, implicatos esse eodem quo angelos judicio, claris verbis docetur (XIX, 2): *„Und auch ihren Weibern, die die Engel des Himmels verführten, wird es ebenso ergehen, wie den Freunden (derselben).*"

Sufficiant haec; ex quibus quidquid de Henochi vaticiniorum aetate deque singulis quae traduntur rebus statueris, hoc tamen, opinor, intelliges, Petri tempore accuratam harum rerum pervulgatam fuisse notitiam; id quod vel Hofmannus concedit qui inter nostrates fere solus librum Henochi post Judae et Petri epistolas scriptum esse censet;[1] intelliges etiam certam quandam de his rebus dicendi invaluisse consuetudinem; quid denique de statu et sorte eorum qui diluvio periissent opinati sint.

Accedit quod traditionis auctoritas inveteravit apud Judaeos, ipsam diluvii gentem nullo unquam modo participem fore salutis per Christum futurae.[2] Quae quum ita sint jam docemur, Petrum, apostolum maxime omnium Judaeum, locum poenae iis ipsis facere reclusum. Quid quod Wiesinger (p. 238) consolatur Christianos de ipsorum salute, comparatione cum istis per Christum non minus (*καί* 1 Petr. III, 19) salvandis instituta. Mira profecto exegetarum commenta! In alia omnia discedit qua Henochi liber qua Petrus ipse in loco nostro, qui iisdem paene verbis illos tanquam summae obstinationis exemplum commemorant. Petri

1. *Schriftbeweis I* p. 372—374: *„Dennoch berufen wir uns auf das Buch Henoch —; dasselbe gibt uns nämlich jedenfalls davon Zeugniss, dass in dem jüdischen Gedankenkreise die Bestrafung der Geister — — eben so nahe mit der Verderbung der ersten Welt durch die grosse Fluth beisammen lag, wie bei Petrus (II, 2. 4. 5) die Bestrafung von Engeln dicht vor der Sündfluth steht, und fast mit denselben Worten wird die erstere in dem Buche Henoch und in dem petrinischen Briefe bezeichnet.*"

2. Cfr. Lightfoot Horae Hebr. et Talm. ad Mtth. XXIV, 37 p. 452: „Aetati vel generationi diluvii non est portio in mundo futuro." (Ex Sanhedr. cap. X hal. 2.) Schmid *bibl. Theol. II* p. 181, cui assentitur Wiesinger neque tamen dubitat conclusionem quandam a majori ad minus adscribere Petro l. l. p. 248. Cfr. etiam Eisenmenger *Entd. Judenth.* I p. 448 et p. 380 sq. cum II p. 430 sq. Qui ex Israelitarum gente in sceleratorum regione apud inferos tenentur, iis quidem propter circumcisionem liberationis per Messiam spes vindicatur l. l. II p. 364 sq.

illa gravissima: *ὅτι ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ θεοῦ μακροθυμία* (cfr. supra p. 28 sqq.) veluti commentario illustrantur his Henochi verbis (LX, 5 ed Dillm. p. 30): *„Bis heute war der Tag seiner Barmherzigkeit, da er barmherzig und langmüthig war gegen die, die den Erdboden bewohnen.“* (Cfr. XCIII, 3.)

Tot et tantis testimoniis uno quasi ore de gentis illius propter immane crimen diluvio deletae aeternisque vinculis traditae damnatione consentientibus, tamen nescio quo jure interpretes propter unum illud *κηρύσσειν* verbum invito loci contextu invita alterius epistolae doctrina contrariam inculcaverunt sententiam. Et verbi quidem *κηρύσσειν* in No. To. usus,[1] quem supra illustravimus (p. 31 – 36) quum per se egregie in nostrum locum conveniat, tum singulari fortasse causa commotus apostolus id verbum in sententiam suam adhibuit. Videtur enim Christus huic genti tanquam alter Noachus idemque summus *δικαιοσύνης κῆρυξ* apparuisse supplicium sumens ob contemtum divinae benignitatis per Noachum illum praedicatae. Potuit fieri ut Noachus illo tempore *κατ᾽ ἐξοχὴν κῆρυξ θεοῦ* vel *δικαιοσύνης* illiusque praedicatio *κήρυγμα* appellaretur.[2]

Haud sane nos fugit veteres ecclesiae Lutheranae doctores huic de angelis cum hominibus mixtis opinioni valde obluctatos esse; sed obluctatur ipsis Judae locus luculentissimus. Cui auctori quum fidem denegare et auctoritatem nefas sit, non licebit posthac de recipiendo hoc dogmate in reliquorum serie disciplinaeque dogmaticae complexu dubitare.[3] Qua in re eadem observanda erit verecundia et castitas qua scriptores sacros nonnullosque ecclesiasticos differre videmus a spurcissima rei describendae ratione quae in apocryphis nonnullis maximeque in Henochi libro obtinet. Quamquam alios paullo castiore modo rem animis informasse documento jam est locus ille ex Testamentis XII patriarcharum nobilissimus Ruben c. V.[4]

Quodsi ad Henochi librum provocavimus in explicando Petri loco, nihil profecto commovit nisi ea quae negari nequit similitudo[5] in nonnullis locis singulis, maxime autem in illa de carcere inferno doctri-

---

1. Ad locos supra commemoratos adde Zachar. IX, 9: *κήρυσσε θύγατερ Ἱερουσαλήμ ἰδοὺ ὁ βασιλεὺς ἔρχεταί σοι*, et Sophonj. III, 14. 15, quibus singularis ille Ni. Ti. usus egregie confirmatur.

2. Solet quidem Noachus uti Henochus propheta appellari (Philo, Quis rer. div. her. p. 510 ed. Mang.); sed conferas „*κήρυγμα Νῶε*“ illud in Sibyllinis oraculis lib. I apud Fabricium Cod. Pseudepigr. I p. 230.

3. Twesten (*Dogmatik II, 1* p. 332) agnovit quodammodo hanc necessitatem. („*Unter gewissen Voraussetzungen nicht undenkbar.*“) Hofmannus Erlangensis princeps dogmati certum in doctrina Christiana locum vindicavit (l. l.).

4. *Φεύγετε οὖν τὴν πορνείαν, τέκνα μου, καὶ προστάσσετε ταῖς γυναιξὶν ὑμῶν καὶ ταῖς θυγατράσιν ἵνα μὴ κοσμῶνται τὰς κεφαλάς — — —. Οὕτω γὰρ ἔθελξαν τοὺς Ἐγρηγόρους πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ· κἀκεῖνοι συνεχῶς ὁρῶντες αὐτάς, ἐγένοντο ἐν ἐπιθυμίᾳ ἀλλήλων καὶ συνέλαβον τῇ διανοίᾳ τὴν πρᾶξιν καὶ μετεσχηματίζοντο εἰς ἀνθρώπους καὶ ἐν τῇ συνουσίᾳ τῶν ἀνδρῶν συνεφαίνοντο αὐταῖς, κἀκεῖναι ἐπιθυμοῦσαι τῇ διανοίᾳ τὰς φαντασίας αὐτῶν ἔτεκον γίγαντας· ἐφαίνοντο γὰρ αὐταῖς Ἐγρήγοροι ἕως τοῦ οὐρανοῦ φθάνοντες.* Cfr. Grabe Spicilegium p. 150. Fabricius Codex Pseudepigr. I p. 166.

5. Conferas maxime quae cap. V et CVIII ad finem totius libri definiendum de diversa piorum et impiorum sorte in illorum solatium scripta sunt Petrinis simillima.

na conspicua. Omnino liber ille rerum tunc maxime disceptatarum testimonio valet, minime vero disceptandi rationis auctoritate. Exemplo esse potest uterque et Judae et Petri locus, quo castissimo modo tetigisse magis quam docuisse mysterium illud horrendum soliti sint apostoli; idque quod summi momenti est non alium in finem nisi ut severum Dei judicium in homines carni deditos (Jud. 8. 2 Petr. II, 10) verboque divino prorsus inobedientes graviter proponerent.

Petri in loco de quo agitur aperte non intererat significari quid omnino peccavissent illi, sed ad quam suae aetatis similitudinem. Hinc inobedientia fideique defectus animorum denique offirmatio notatur, Christianorum status cum paucorum Noachi consortium comparatur. Haud dubie similia, atque Lothum passum esse a Sodomitis in altera epistola refertur (II, 7. 8), toleranda erant Noacho iisque qui cum illo faciebant. Ab opinione autem illa antiqua de criminis natura, quod diluvii judicium genti Noachiticae contraxerat, si abhorruisset apostolus, neque carceris significationem ita uti vidimus quasi praeformatam apte potuisset recipere, neque si evangelii praedicatione per Christum facta eos dignos habuisset, leviter et quasi praetereundo rem absolvere licuisset. Quin immo in tanta qua apostolus utitur sermonis brevitate, quid ipse praeterea de illorum criminis et poenae natura statuerit docueritque, explicari non aliter posse videtur atque ex communi illius aetatis traditione. Quod si concessum erit quis quaeso potuerit sibi persuadere Petrum docere, immani illi scelerum pernicieque multitudini, concretae quasi ex angelorum et hominum natura, Christum evangelium attulisse! Nihil jam valet, qua in re haesitat Wiesinger, quod Christus quum in eo fuerit ut hominibus adeoque sui interfectoribus in mundo pacem annuntiaret, perperam eodem tempore putetur judicii praeco inter infideles aetatis Noachicae. At quocunque tempore illuc abiit Christus, ubi retinebatur illa gens immani crimine implicata, non potuit non cum severa judicis sententia sancire et confirmare vincula illa quibus seclusa ab omnibus reliquis impiorum animis teneretur sua sponte suoque merito tradita in sortis aeque atque iniquitatis cum angelis malis consortium.[1]

Arctissime jam videmus Petri de descensu sententiam cohaerere cum Christi de regno diaboli triumpho quem post vitam gloriae recuperatam in inferis actum esse ecclesia Christiana ab initio uno consensu professa est, quem eundem Lutheranae nostrae confessio finem docet unum fuisse Christi descendentis. Ac nescio an postulari paene dicam, etsi nullo sacrae scripturae loco claris verbis doceatur, Christum, postquam mortem perpessus est vitaque recuperata diaboli opera delevit (1 Joh. III, 8. Col. II, 15 al.), victoriae reportatae refectique damni e peccatis exorti praeconium ad eum primum detulisse, qui primus peccaverat exstiteratque pernicie generis humani auctor. Quod quum apostoli non aliunde nisi ex ipsius Christi et quidem e mortuis redu-

---

1. Fortasse inde explicandum est cur Petrus nomen illud *πνεύματα*, quod ubi simpliciter ponitur de angelis intelligi solet, quamvis de hominum animis diserte agatur, ponere maluerit. Cfr. Bauri sententiam similem l. l. Certe quam maxime confirmatur, quum v. 22 angeli eorumque regna subjecta commemorentur Christi imperio. Cfr. Eph. IV, 8. Col. II, 15.

cis ore (Act. I, 3)[1] edocti fuisse videantur, quis dubitet quin eodem tempore ex eodemque ore Petro innotuerit, quem in triumpho agendo de universo diaboli regno locum habuerit *κήρυγμα* illud ad gentem diluvio abreptam proclamatum. Nobis nunc sane nisi conjiciendo rem animo informare non possumus, neque recte informatam habebimus nisi correcta nonnihil universa de angelis eorumque lapsu doctrina. Cohaerebat videlicet illa quae sexto Genesis capite significatur, Judae testimonio confirmatur generis humani per angelos corruptio cum primo diaboli in Adamum impetu.

Cujus rei rationem, si conjectura uti licet, hanc fuisse conjicias, ut quam Deus O. M. per procreandum ex humano genere salvatorem aperuisset salutis liberationisque e satanica potestate viam, eam diabolus corrumpenda ac pervertenda generatione humana voluerit praecludere venturoque Dei filio sui quasi seminis homines opponere. Certe quae carnis voluptas in Genesi angelis imputari videtur non efficit, ut alia magis occulta criminis ratio quae si non omnes qui ita peccaverunt angelos, diabolum certe commoverit, omnino neganda sit. Quosdam vero in diaboli malorumque angelorum et pernicie et judicio quasi gradus et progressus significari in sacra scriptura, consensit ab initio Christiana ecclesia. Sub finem aerae Christianae id ipsum legimus effectum iri a diabolo, ut quendam ita corrumpat qui sui quasi filius spirituali quadam generatione procreatus exsistat atque utpote totus scelus et flagitium jure dicatur *ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας* (2 Thess. II, 3 cfr. 1 Joh. II, 18 et Ev. Joh. XIII, 27). Ex fine autem judicantur consilii initia, ex spirituali effectu quid spectaverit conamen illud carnale (Jud. 7).

Quod ubi coercitum est immisso divinitus diluvio, constituebantur jam novi naturae ordines, qui non intermissuri manerent usque dum appariturus esset, qui salvum praestaret Deoque reconciliaret genus humanum. Diaboli potestati jam nihil relictum erat, nisi ut fidem et spem in illo generis auxiliatore et expiatore ponendam impediret, repositam frangeret. Quod quum maxime effectum iri videatur Antichristo inter Christianos exorto, tum redibit Christus irrita redditurus denique diaboli opera. Eadem jam ejusdemque videntur quaeque extremo die quaeque in diluvio refringuntur conamina modo carnaliter modo spiritualiter effecta; et mirum quanta inde exsistit diluvii et extremi judicii similitudo, quae quidem in descensus cum reditu Christi similitudine perficitur et consummatur. Reditus enim Christi, quippe judicis apparituri, respondet antiquae illi inter antiqui mundi cives apparitioni in descensu conspicuae. Quae quidem non potuit ullo tempore fieri aptius, quam quum primum per Christum verum Dei filium, generi humano sanctissima innatum generatione, restituta apparuit humana natura eaque in Dei gratiam patrisque amorem feliciter redacta. Cujus summa laus est *προςαγαγεῖν ἡμᾶς τῷ θεῷ*, is abiit ad convincendum penitus seductoris antiquum illud conamen. Corruptae autem miserandum in modum gentis Noachiticae exemplum proponitur ab apostolo iis, qui in

1. *Οἷς καὶ παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα, μετὰ τὸ παθεῖν αὐτόν, — — — λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ.*

simili jam constituti sint periculo; nam ὁ ἀντίδικος ὑμῶν inquit *διάβολος ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ ζητῶν τίνα καταπίῃ* (V, 8). Impendet judicis adventus (IV, 5. 7). Quiqui adversus diaboli impetus, ut qui in ipsis illis *παθήμασι* Christianis a fidei adversariis' paratis maxime cernantur (l. l. v. 9), fortiter fideque servata non restiterint, convicti sistentur coram judice non minus quam illi qui Noachi aetate non restitere maluereque carnis voluptates sequi quam per breve tempus carnis afflictationes pati cum Noacho justo illo viro et antiqui mundi quasi servatore.

Pro tristissimam praeclarae sortis Christianae permutationem, si quibus Christianis, quum Christus apparitarus est, non modo non gaudendum (I, 8), sed aeque cum istis quibus statim post resurrectionem in carcere apparuit, aeque cum iis qui judice appropinquante adversarii inventi sunt (IV, 5. 18) contremiscendum lamentandumque erit quam per fluxas carnis libidines perdiderint salutis spem aeternam.

Haec videtur Petri de Christi ad animas diluvii' judicio implicatas descensu sententia esse, quam ne merae conjecturae loco habeamus, cavent, opinor, et doctrinae larga atque indubia vestigia et magna quae inesse videtur quum consolationis tum vero adhortationis copia.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

P. 10 not. 1 leg. II, 3; p. 12 lin. 36 leg. propius; p. 14 not. lin. 3 leg. in welchem; p. 15 lin. 15 leg. immineat; p. 15 lin. 21 leg. sint; p. 16 lin. 12 leg. appellemus; p. 20 lin. 33 leg. Neh. III, 34 (IV, 2); p. 26 lin. 2 leg. animas; p. 27 lin. 27 leg. quamquam; p. 30 lin. 11 leg. utitur; p. 32 lin. 13 leg. διαγγέλλειν; p. 32 lin. 18 leg. הִבֵּר; p. 38 lin. 9 adde (III Macc. II, 4) post ἐπάξας; p. 45 lin. 11 leg. Chaldaici; p. 61 lin. 31 adde (Sir. XVI, 7 (8) sq. 3 Macc. II, 4 sq.) post „illis“; p. 66 lin. 17 adde (Lact. inst. II c. 14) post „commoverit“.

LIPSIAE, TYPIS ACKERMANNI ET GLASERI.

LIPSIAE,
TYPIS ACKERMANNI ET GLASERI.
1857.


3 2044 069 679 488

